PRÆLECTIONES MEDICÆ

EX

CRONII INSTITUTO,

ANNIS 1774, ET 1775:

ET

ORATIO ANNIVERSARIA

EX

HARVEII INSTITUTO,

DIE OCTOBRIS 18*va*, ANNI 1775:

HABITÆ

IN THEATRO COLLEGII REGII MEDICORUM LONDINENSIUM.

A DONALDO MONRO, M. D.

MEDICO AD EXERCITUM, ET AD NOSOCOMIUM SANCTI GEORGII; AC COLLEGII REGII MEDICORUM, ET REGIÆ SOCIETATIS SOCIO.

LONDINI:

EXCUDIT GUL. HAY,

Typographus SOC. ART. MAG. BRIT.

Venales proſtant apud GUL. HAY, *Strand;* E. et C. DILLY, *Poultry;* J. WALTER, *Charing-croſs;* et J. BALFOUR, Academiæ Typographum, *Edinburgi*.

MDCCLXXVI.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30790803_0002

COLLEGIO REGIO MEDICORUM
LONDINENSI,
MEDICINÆ LIBERALIS
CULTORI, AC PATRONO.

NEC NON
ALMÆ MATRI EDINBURGENSI
ACADEMIÆ CELEBERRIMÆ,
IN GRATITUDINIS ET OBSERVANTIÆ
TESTIMONIUM;

HASCE PRÆLECTIONES, ET ORATIONEM,
D. D. D. C.
DONALDUS MONRO;
INTRA HUJUS MOENIA NATUS, ET LITERIS
ATQUE SCIENTIA INSTRUCTUS;
IN ILLIUS SOCIORUM NUMERUM
INSCIUS COOPTATUS.

INDEX RERUM.

Pagina

DE Cerebro, —— —— 1
De Cerebello, —— — 10
De Nervis, —— —— 12
De Vaſis Cerebri et Cerebelli, —— 16
Hiſtoria Vaſorum Lacteorum, et Lymphaticorum, in Notis, ad pag. — — 16, *etc.*
De Structurâ Intimâ atque Uſu Cerebri, Cerebelli, et Nervorum, &c. —— —— 25
De Morbis quibuſdam Capitis, —— 30
De Inflammatione acutâ Cerebri, — - *ibid.*
De Injuriis Capiti factis ab Ictibus, &c. — 33
De Inflammatione Putridâ Cerebri, et de Febre Putridâ, — —— — 38
De Cauſis Febrium Putridarum,——in Notis ad Pag. 38
De Uſu Aëris in Morbis Putridis,—in Notis ad Pag. 47
De Anginâ Putridâ Ulceroſa, — —— 50
De Hemicraniâ, — — — 59
De Dolore Capitis, - - - 61
De Pulvere Jacobi, - in Notis, ad Pag. 62, &c.
De Motu Muſculari, — - 69
De Inflammatione Muſculorum, - - 76
De Contractione Muſculorum, - - 77
De Convulſionibus Muſculorum, - - 80
De Spaſmis, - - - 85
De Tetano, - - - 86
De Motu Cordis, atque Sanguinis, - - 90

De

INDEX RERUM.

Pagina

De Modis quibus renovatur Sanguinis Motus, cum Pulſatio Cordis et Arteriarum jam per tempus aliquod ceſſare viſa fuerit, - - - - 95

De Pulſibus Arteriarum, —— -- 98

De Febre, - - 107

De Febribus Inflammatoriis, - - 109

De Febribus Remittentibus et Intermittentibus, 110

De Febribus Putridis, - - 113

De Febribus Lentis ſive Nervoſis, - - *ibid.*

De Febribus Hecticis, - - 115

De Pulmonum Fabrica atque Uſu, — 116

De Catarrho et Phthiſi Pulmonali, -- 117

De Dyſenteriâ, - - - 131

Oratio Anniverſaria ex Inſtituto Harveii, de Sociis Collegii Medicorum Londinenſium qui id vel ingenio vel munificentiâ ornarunt, —— 159

ERRATA CORRIGENDA.

In Pag. Lin.

13.—24.		*pro*	tabi,	*lege*	tabe.
14.	ad finem Ni. 6ti. in Notis, *dele* " inter corpora " pyramidalia, pontemque varolii."				
18. — 1.	in notis	*pro*	1753,	*lege*	1653.
24. —10.	in notis,	*pro*	annus,	*lege*	anno.
29. — 4.		*pro*	defferi,	*lege*	deferri.
47. — 8.	in notis,	*pro*	coporum,	*lege*	corporum.
53. —19.		*pro*	obſervari,	*lege*	obſervavi.
66. —15.		*pro*	peccam,	*lege*	peccem.
73. —14.		*pro*	nulla,	*lege*	nullo.
95. —18.		*pro*	continue,	*lege*	perpetuo.
118. —17.				*dele*	ægroto.
120. —14.		*pro*	epicacoanâ	*lege*	Ipecacoanhâ.
122. — 2,	in notis,	*pro*	tenuum,	*lege*	tenuem.
139. — 3.	in notis.	*pro*	1743,	*lege*	1748.
Ibid. —27.		*pro*	vidi,	*lege*	vide.
173. — 1.	in notis,	*pro*	Cænaculum,	*lege*	Senaculum.

Lately publiſhed,

Beautifully printed in two Volumes 8vo.
(Price bound 12*s.*)

A TREATISE on MINERAL WATERS, divided into THREE PARTS; containing,

PART I. An Account of Water, and the different Mineral Subſtances it may be impregnated with, and of the moſt approved Means uſed for the Diſcovery of it's various Impregnations.

PART II. An Account of the Contents, Virtues, and Uſes, of all the COLD MINERAL WATERS in *England*, *Scotland*, *Ireland*, *Germany*, *France*, and other Countries.

PART III. An Account of the Contents, Virtues, and Uſes, of *Bath*, *Briſtol*, *Buxton*, and *Matlock* Baths and Waters, and of all the warm Mineral Waters and Baths, in *France*, *Germany*, *Italy*, and in other Parts of the World.

By DONALD MONRO, M. D.

Phyſician to His Majeſty's Army, and to St. George's Hoſpital, and Fellow of the College of Phyſicians, and of the Royal Society.

Sold by W. HAY, Printer and Bookſeller, *Strand*, near *Exeter Exchange*; and by other Bookſellers in *London*.

Where may be had, by the ſame Author,

1. AN ESSAY on the DROPSY, and it's different Species. 3d. Edit.

2. AN ACCOUNT of the DISEASES which were moſt frequent in the BRITISH MILITARY HOSPITALS in *Germany*, during the late War: To which is added, An Eſſay on the Means of preſerving the Health of Soldiers, and of conducting Military Hoſpitals.

Alſo, Price 4s. 6d. bound.

EXPERIMENTS upon the HUMAN BILE, and Reflections on the Biliary Secretion. With an Introductory Eſſay. By JAMES MACLURG, M. D.

PRÆLECTIONES MEDICÆ

IN

THEATRO COLLEGII REGII MEDICORUM

LONDINENSIUM,

HABITÆ, A. D. 1774.

Die 27ma, 28va, et 29na Septembris.

PRÆLECTIONES MEDICÆ.

AUDITORES ornatiſſimi, cum ea Provincia, a colendiſſimo Præſide, mihi data ſit, ut Prælectiones annuas a celeberrimo *Cronio* inſtitutas perlegerem, hodie de cerebro atque nervis diſſerere propoſitum eſt.

DE CEREBRO.

Cerebrum vocatur corpus illud magnum, medullare, cranium replens.—In partes duas *cerebrum*, nempe, et *cerebellum* vulgo diviſum eſt.

Ex medulla cerebri et cerebelli enaſcitur *medulla oblongata*; quæ per foramen magnum oſſis occipitis e cranio exiens, et per thecam vertebrarum deſcendens *ſpinalis* vocatur.

Ex harum partium medullâ oriuntur *nervi*, per totum corpus animale diſtribuendi.

Cerebrum primo a tegumentis externis, et a ſolidâ cranii ſphærâ ubique ab injuriis externis munitur; et dein ſub cranio tribus tunicis, vel membranis, circumvelatur.

 Prima

1. Prima ſub cranio tunica *Dura Mater* nuncupata, eſt membrana firmiſſima, compoſita ex duabus laminis ſatis diſtinctis; inter quas ſanguis, per venas cerebri ad cor rediens, fluit per alveos ibi relictos, *ſinus* communiter dictos.—Lamina externa, cranio ubique adhærens, pro perioſteo interno inſervit; cum nervis, vaſiſque per omnia cranii foramina exit, et cum perioſteis totius corporis humani cohæret, unde nomen *Matris.*—Lamina interna, pleriſque in locis, eſt continua priori; nonnullis tamen ſecedit, et deſertâ laminâ externâ, duplex interné verſus cerebrum progreditur, et format membranas varias, proceſſus Duræ Matris dictas; nempe, *falcem magnam*, cerebrum in duo hemiſpheria ſeparantem.—*Falcem brevem*, cerebellum item in duas partes dividentem;—et fortiſſima tentoria, *proceſſus laterales* dicta, et cerebrum a cerebello ſeparantia.

2. Secunda tunica *Arachnoides*, ſeu *Aranea*, a ſumma tenuitate nominata, eſt naturæ celluloſæ, et cerebro ubique circumpoſita.

3. Tertia tunica, *Piæ* nomine inſignita, ſuperficiem omnem cerebri, cerebelli, et medullæ ſpinalis circumveſtit.

Superficies cerebri ubique inæqualis eſt, et anfractibus, ſulcis, atque gyris ſuis inteſtinula quaſi repreſentans; et ſubſtantia ejus ſuperne in duas partes, ſeu hemiſpheria, a proceſſu falciformi duræ matris longitudinaliter dividitur; non ad baſin uſque cerebri, ſed

ſed tantum ad partem illam, ubi medulla ex utroque latere unita operit cavitates duas, *ventriculos anteriores* et ab aliis *laterales* dictas.

Et unumquodque hemiſpherium in duos lobulos, *anteriorem* nempe minorem, et *poſteriorem* majorem a ramis arteriæ carotidis internæ eſt diviſum.

Subſtantia cerebri, ſi pars quædam reſecatur, duplex apparet; exterior *Corticis*, interior *medullæ* nomen audit.

Cortex, tenerrimus omnium in corpore humano partium, eſt coloris cinerei, et craſities duarum quaſi linearum.—*Medulla* eſt alba, et copiâ quam cortex majori.

Sub parte inferiori proceſſus falciformis, medulla, ventriculos laterales operiens, corpus calloſum vocatur.

Ventriculi laterales ſeu *anteriores* ſunt duæ cavitates longæ, ſub corpore calloſo poſitæ, et a ſe invicem ſeparatæ per duplicatum ſeptum, tenue, medullare *lucidum* vocatum; ortum a parte inferiori corporis calloſi ducens, et a piâ membranâ obductum.—Ventriculi incipiunt in lobis anterioribus, ſuper os cribriforme, quâ parte crura cerebri majora exeunt de cerebro; et in parte poſteriori extenduntur ad finem fere uſque corporis calloſi; et dein aliquanto ut arietum cornua extrorſum antrorſumque recurvantur.—Longitudo eorum, in homine, eſt duos circiter pollices, ſed tamen varia; nam in quibuſdam

dam cadaveribus duplo quam in aliis longiores inventi fuerunt.

In vivis et ſanis animalibus interna ventriculorum ſuperficies ſemper humore tenui, de arteriis exhalato humectatur, qui continuo per vaſa lymphatica vel venas * reſorbetur; et in caſibus morboſis aliquando ad magnam quantitatem humor collectus invenitur †.

Multa de uſu harum cavitatum ab auctoribus in omni ævo jam dicta ſunt.—Antiqui ſtatuerunt illas officinas eſſe ſpirituum animalium, ubi et procreabantur ipſi, et præcipua functionis animalis opera moliebantur.—Alii vero recentiores hæc loca materiæ excrementitiæ, et foras emandandæ, meras eſſe cloacas aſſeruerunt.—Dum alii voluere, liquores ad nervos et cerebrum irrorandum, in hiſce cavitatibus ſecretos eſſe; nihil vero certum de earum uſu, vel ab experimentis, vel ab obſervationibus adhuc nobis cognitum eſt.

* Per tempus ſatis longum univerſe fere creditum fuit Humores, ubique e cavis, ab extremitatibus venarum abſorptos et in ſanguinem reductos eſſe; jam vero certum eſt *vaſa valvuloſa lymphatica* ubique ex cavitatibus originem ducere, et ea, per totum corpus humanum ſyſtema vaſorum abſorbentium eſſe; et nonulli recentiores anatomici affirmârunt, vaſa hæc ſola humores abſorbere; dum alii ab experimentis factis adhuc dubitant, annon venarum fines quam plurimæ e cavitatibus exoriantur, et munere etiam vaſorum abſorbentium fungantur?—Lymphatica enim nondum in cavis cerebri clare demonſtrata fuere.

† Vide plures Hiſtorias aquæ in ventriculis collectæ in tractatu meo de Hydrope, *An Eſſay on the Dropſy* dicto; in notis ad pag. 153, &c. Tertiæ Editionis.

In

In parte inferiori ventriculorum ſubſtantia medullaris cerebri colligitur in duos magnos faſciculos, *crura medullæ oblongatæ* nuncupatos; ſuper quos inſident quatuor eminentiæ ſeu proceſſus; quarum anteriores duæ *corpora ſtriata* vocantur, quia intus alternis ſtriis albis depinguntur; — poſteriores vero *thalami nervorum opticorum*, quia a parte eorum inferiori nervi optici originem ducere videantur.—Et inter thalamos adeſt ſubſtantia medullaris quæ illos ambit, et *limbus poſterior corporis ſtriati* a WILLIS deſignatur.

In medio ſub ſepto lucido, adeſt proceſſus medullaris tenuis atque latus, *fornix* dictus; qui ex utroque latere anterius incipit radice latâ; et ad poſteriora tendens, corporibus ſtriatis et thalamis nervorum opticorum incumbit, et dein cruribus longis extrorſum incurvatis, in cornua ventriculorum deſinit.

In ventriculorum parte inferiori incipit, ex utrinque, mira illa ramulorum arteriarum et venarum * cerebri, et glandularum parvulárum

" * Sed præter id genus reductoria vaſa, aliud inſuper " habet vaſorum genus; videlicet, *lymphæ-ductus*, quos " ego manifeſtavi in cerebro ſtrangulati corporis, eoſ- " que multis circumſtantibus oſtendi, qui excurrunt in " varias ramificationes inter hujus partis reticulata vaſa " et glandulas; quæ obſervatio ſi addatur obſervationi " præclari illius anatomici ANTHONII NUCK; qui dicit " ſe unum vidiſſe prodeuntem e glandula pineali, et ob- " ſervationi alteræ, cujuſdam ſui amici (BEDDEVOLE " GENEVENSIS), ſufficientis auctoritatis eſſe poteſt ad " evincendam realem exiſtentiam hujuſmodi vaſorum,

quæ

rum congeries, *plexus choroideus* dicta, et in duplicaturâ tenui, laxâque piæ membranæ incluſa; quæ cum ſuper thalamos inceſſerit per lacunar tertii ventriculi ad glandulam *pinealem* et eminentias *nates* atque *teſtes* dictas uſque deſcendit; ubique partibus ſubjectis vaſis tenuiſſimis adhærens.

Sub fornice, ſuper crura cerebri conjuncta, inter thalamos nervorum opticorum adeſt fiſſura naturalis, *tertius ventriculus* dicta; ex cujus imâ et anteriori parte exit *infundibulum*, quod ducit ad *glandulam pituitariam* ſitam ſub baſi cerebri, ſuper ſellam turcicam oſſis ſphenoidei; et plexu vaſculorum, *reti mirabili* vocato, circumveſtitam.

In hoc, ut in aliis ventriculis, eſt plexus choroideus.

Celeberrimus Boerhaavius, atque alii multi crediderunt, vapores condenſatos ex ventriculis lateralibus in hunc tertium confluere; et ex tertio ventriculo per infundibulum deſcendere in glandulam pituitariam, atque in venas reſorberi, ſed hæc omnia incerta ſunt; et illuſtriſſimus Hallerus, aliique recentiores anatomici dubitaverunt, an in corpore humano ulla via aperta maneat ex ventriculis lateralibus in tertium; vel, ex tertio ventriculo, ad glandulam pituitariam per infundibulum.

" quæ hactenus cum in cerebro, tum in aliis partibus " corporis tam ſolicite fuerunt inveſtigata." Vide Henrici Ridley *Anat. cerebri, cap.* vii.

In

In parte poſteriori ventriculi tertii exit altera canalicula; quæ infra glandulam pinealem, inter tuberculos *nates*, atque *teſtes*, dictos tranſiens, ad quartum ventriculum, ſub cerebello ſitum, ducit; ac nomine *aquæductus* a SYLVIO inſignita fuit: oſtiumque ejus anterius *anus*, a multis vocatur.

A parte poſteriori ventriculi tertii, et immediate pone thalamos exſurgunt ſuper medullam oblongatam tuberculi duo, *nates* dicti; et pone illos duo alii minores, *teſtes* vocati, qui cerebello uniuntur, proceſſibus a parte ejus medullari ortis.

Natibus inſidet glandula illa celebris, piſæ ſemen magnitudine æquans, *Pinealis* nominata; eſt ſubſtantiæ cinereæ, cum proceſſibus et baſi utcunque medullaribus; et pro ſede animæ inepte a CARTESIO habita fuit. In cadaveribus vero hominum, qui morbis cerebri, ſine ullâ ſenſuum læſione laboraverant, putrefacta, indurata, ſchirroſa, petrefacta, vel aliter morbida ſæpiſſime inventa eſt *.

Cerebellum

* Negandum tamen non eſt, mentis errore laboraſſe ſæpe homines in quorum cerebris hæc glandula morbida inventa fuit. De eâ ſic loquitur illuſtriſſimus HALLERUS: "In eâ particulâ variabilis moles eſt, et frequens morbida natura. Sæpe quaſi aqua ſuffuſa, ut ipſe vidi, "intumeſcit, hydatidi ſimilis; frequenter etiam capillis exaſperatur, non adeo quidem in meis, quam in "aliorum clarorum virorum experimentis, inque ejuſmodi hominibus non rarum eſt capitis vitium, mentiſve aliquem errorem, dum vixerunt, adfuiſſe; ut

 "cephalgiam

Cerebellum, quaſi parvum cerebrum, poſitum in poſteriori et inferiori cavitate cranii, ſeparatur a cerebro, proceſſu duræ matris fortiſſimo; et in duos quoque lobos, ſeu hemiſpheria, a *falci minori* dividitur, ſed nuſquam profunde; et hi lobuli et ſuperius et inferius medio annulo, quam *vermem* vocant, ſunt uniti.

Superficies cerebelli gyris, quaſi parallelis circularibus, inſignitur; et conſtat, pariter ac cerebrum, ex ſubſtantiâ exteriori cinereâ *corticali*, et interiori *medullari*.—Cortex majori copiâ eſt, quam medulla.

Medulla, ortum ſuum, quaſi per diverſos ramulos, e cortice ducens, in medium truncum concurrit; ſic, ut cerebello ſecundum longitudinem ſecto, arborem medulloſam ramificatam pulcherrime repreſentet. Truncus dein in imâ parte, in duas radices *pedunculos*, *cerebelli* dictas, dividitur; quorum unus, ex utroque latere, in tres *proceſſus* diviſus, lateri medullæ oblongatæ unitur.—Primus a cerebello verſus teſtes aſcendit, et valvulam magnam cerebri format.—Secundus, medius et maximus, deorſum tranſverſimque iens ſubjicit ſe cruribus cerebri, eaque amplectitur ad formandam *prominentiam annularem*, ſive pontem VAROLLI.—Tertius inferior ad medullam ſpinalem deſcendit.

"cephalgiam, memoriam deſtructam, ſtultitiam per-"
"fectam." Vide ALBERTI HALLERI *Elementa Phyſiologiæ, tom.* iv. *lib.* 1. § 1. *pag.* 65. *et* 66.

Pedunculi

Pedunculi cerebelli, inter ſe cavum relinquunt, quod pro baſi ſulculum habet oblongum in parte ſuperiori medullæ oblongatæ, pone teſtes, inſculptum. Hoc cavum veteres *ventriculum cerebelli*, recentiores vero anatomici, *ventriculum quartum*, nominarunt; et nonnulli *calamum ſcriptorium*, a ſimilitudine crenæ, ſeu ſulculi, in imo hujus cavi inſcripti. Extenditur cavum a parte poſticâ teſtium, uſque fere ad primi paris nervorum cervicis egreſſum. In medio infra teſtes aperit aquæductus Sylvii, a tertio in hunc, quartum ventriculum ducens; et parietes ventriculi, ubique a piâ membranâ obteguntur; et in illo ſimilis, ut in aliis ventriculis, plexus choroideus eſt, ſed copia minori.

Ex conjunctione crurum cerebri, pone ventriculum tertium, cum medullâ cerebelli enaſcitur cauda medullaris, quæ a parte quâ crura conjunguntur, ad foramen uſque magnum oſſis occipitis, *oblongatæ medullæ* nomine inſignitur; in cujus baſi, ſive parte inferiori, ſtatim ad initium, proceſſus medii cerebelli, ſub cruribus conjunctis deſcendentes orbicularem illam prominentiam *proceſſum annularem* efficiunt; et dein infra et pone illam duo tubercula ſuper medullam prominent, *corpora pyramidalia* vocata; et ſita in medio inter duo alia, unum ex utrinque, *Olivaria* dicta.

Medulla dein oblongata, infra illas pro-

minentias anguſtior reddita, per foramen magnum oſſis occipitis, deſcendit in cavum vertebrarum, ubi *ſpinalis* nomine gaudet; et cum ad cavum primæ vel ſecundæ lumborum vertebræ pervenerit, in multos faſciculos dividitur; et ex ſimilitudine, *caudæ equinæ* nomine inſignitur.

Ex cruribus cerebri, et prominentiis iis inſidentibus, et ex medullâ oblongatâ et ſpinali oriuntur, ad certos locos, numeroſiſſimæ fibrillæ medulloſæ, quæ in chordas longas collectæ, et iiſdem ac cerebrum tunicis tectæ, nervi dicuntur.

Horum nervorum quadraginta paria, per foramina e cranii et ſpinæ cavis, exeuntia, diſperguntur per omnia vel minima puncta corporis animalis; ubi vero ingreſſuri ſunt partes, ad quas pertinent, deponunt tunicas prius acquiſitas; moxque expanduntur; et ultimo tandem fine, raro viſibili, in pulpam vel in ſpeciem telæ tenuiſſimæ terminari videntur.

Nervi plures in quibuſdam corporis locis, in unum coeuntes, funem magnum, in nervos minores poſtea dividendum, faciunt; dum alii conjuncti generant tubera, *Ganglia* et *corpora Olivaria* dicta, majora nervis ex quibus compununtur; et dein ex dictis gangliis, prodeunt iterum nervi, ab nervis aliis non diverſi.

Nervi e corpore exempti, et in aquâ macerati, diſſiliunt in millenas fibras; et fibra minima,

minima, oculo viſibilis, microſcopio luſtrata ex multis aliis minoribus componi videtur; et quam parva ſit minima fibrilla, nobis certe ignotum eſt; ſed ex obſervationibus opticis de minimo viſibili, eſtimatur, fibram unam quamque retinæ oculi (32,400) triginta duo millies et ultra, capillo capitis minorem eſſe; et eæ omnes fibrillæ non in nervo primum, ſed in medullâ cerebri diſtinctæ fuerunt.

Nonnulli anatomici affirmarunt nervos ſe invicem decuſſare; nervos, nempe, dextri lateris a ſiniſtro cerebro, et nervos ſiniſtri lateris a dexto cerebro oriri; quia in proceſſu annulari, et in initio ſpinalis medullæ corporis humani, fibræ medullares ſe invicem decuſſare videntur; et obſervatores quidam practici narrarunt hiſtorias hominum, ubi unum cerebri latus læſum fuerat, alterum vero corporis latus paralyſi corripiebatur.—Sed in multo majori parte cerebri humani, nulla decuſſatio fibrarum eſt obſervanda; et in caſibus quibuſdam morboſis nervi optici, ex uno tantum latere, a cerebro ad oculum tabi conſumpti, poſt mortem, inventi fuere; et aliquando in cadaveribus nervi optici ſani, et disjuncti per totum ſuum decurſum apparuere; neque nervi ex uno latere, ad alterum latus tranſierunt; ſed rectâ lineâ percurrebant ad oculum ejuſdem lateris, unde ex cerebro oriebantur; et caſus quotidie in Noſocomiis occurrunt, ubi paralyſis idem corporis latus invadit, quo cerebrum injuriam

riam acceperat; et majus probabile videtur, nervos in corpore humano, ex uno cerebri latere ortos ad idem corporis latus, unde a cerebro pullularunt, diſtribui.

In baſi cerebri, e cranio exempti, pulchre videri poſſunt *novem paria nervorum* originem a cruribus cerebri, et medullâ oblongatâ ducentia: et *decimum* ab initio ſpinalis medullæ *. Et intra crura medullæ oblongatæ, pone

* De origine nervorum capitis ita loquitur illuſtriſſimus HALLERUS, " Omnibus nervis capitis commune eſt, " quod ab inferiori parte medullæ cerebri, aut cerebelli " proveniant."

" 1. Ab intervallo loborum anteriorum cerebri fibrâ laterali, rectâ vero a medullâ lobi anterioris, provenit " *Olfactorius*."

" 2. *Opticus* magnâ ex parte ex thalamis, ſed aliquâ " etiam a cerebri crure, dum nervus id decuſſat."

" 3. *Tertius* ab imo crure medullæ cerebri, pone corpora mammillaria."

" 4. *Quartus* ſimplex aut bifidus a latere proceſſuum " cerebelli ad teſtes prodit."

" 5. *Quintus* a pedunculis cerebelli evidentiſſime naſcitur."

" 6. *Sextus* ab imo ponte, profunde inter medullam " oblongatam pontemque ex ſulco inter corpora pyramidalia, pontemque Varolii."

" 7. *Septimus* altera parte molliori, poſteriori, majori ex medulla oblongatâ, exque ipſo quarto ventriculo, duabus tranſverſis ſtriis alterâ duriori a parte cruris cerebelli proxima ponti."

" 8. *Octavus* ab intervallo corporum OLIVARIUM et " pyramidalium ex ſulco medullæ oblongatæ, et ſecundum aliorum clarorum virorum experimenta, ex ventriculo quarto.

" 9. *Nonus* ab OLIVARIBUS corporibus et a pyramidalibus."

" 10.

pone nervos opticos coalitos obſervandum eſt orificium inferius infundibuli; et pone illud corpora duo albicantia, pro glandulis a multis habita.

Triginta dein *alia nervorum paria* e medullâ ſpinali exorientia, videnda ſunt, ſi pars poſterior vertebrarum cadaveris abſcindatur.

Cerebrum ſextam, et ultra, partem ſanguinis in corpore humano ab arteriis carotidibus internis, et ramulis quibuſdam carotidum externarum, et ab arteriis vertebralibus excipit.—Et ne impetus tantæ ſanguinis molis cerebrum obrueret, natura ſanguinem per miras arteriarum curvaturas intra canales oſſeos tranſire fecit, antea quam ad cerebrum pervenerit Et dein intra calvariæ cavum, ubique innumeras paravit arteriarum anaſtomoſes; ſive inoſculationes, inter ſe ipſas, ramorum arteriarum carotidum et vertebralium. Hinc dum vita durat, et dum vaſa integra maneant, cerebrum nunquam quantitate ſufficiente arterioſi ſanguinis, ad ſua munera fungenda, carere poteſt. Et etiamſi ligatæ fuerint arteriæ carotides, vel

" 10. *Decimus (ortus a lateribus medullæ ſpinalis)* eſt " nervus cervicis ob duplicem radicem, arcum cum ſu" periori et inferiori vicino, locum exitus."

" Nullus ergo ex cerebello proprie ramus prodit, niſi " quintus et quartus; ex cerebro vero ſolo anteriores " nervi, *Olfactorius*, *opticus*, et *tertius*; reliqui ex iis lo" cis, ubi utraque medulla conjuncta eſt." ALBERTI HALLER *primæ lineæ phyſiologiæ*, *ſect.* 357, *edit.* 3*tia.*

vertebrales

vertebrales non ideo perit animal, et ne quidem valde laborare videtur.

Nec minori curâ ſanguinem a cerebro retulit natura; venæ enim cerebri nullas valvulas, ut venæ in aliis corporis partibus habent; nec arteriis ſociæ decurrunt; et ſanguinem ſuum ex cerebro redeuntem, in *ſinus magnos* et fortiſſimos duræ matris effundunt, unde in venas jugulares, valvulis ad reditum impediendum munitas, perfunditur; et venæ inter ſe ipſas, et cum venis medullæ ſpinalis, et externi capitis inoſculant.—Quo, quando venæ nimiâ ſanguinis copiâ repletæ ſunt, facilius ſe deplere poſſint; unde fit ut vaſorum rupturæ et apoplexiæ rarius incidant.

In pleriſque corporis humani partibus vaſa valvuloſa lymphatica * invenienda ſunt; et

* Venæ lacteæ et lymphaticæ vaſa ſunt ejuſdem generis, et ſyſtema vaſorum abſorbentium in corpore animali efficiunt.

Vaſa lactea, quæ chylum e cavo inteſtinorum reſorbent, olim ab ERASISTRATO viſa ſunt, licet uſus eorum illi ignotus. [*Vid.* GALENI *opera*, *an ſanguis in arteriis*, *lib.* v. *Adminiſt. Anat. lib.* vii. Sed cum anatomici, qui illum ſecuti hæc vaſa invenire non potuerunt, neglecta et pro fictis habita ſunt; donec (A. D. 1622.) forte fortunâ a GASPARO ASELLIO, in cane viſa fuere, qui rei novitate perculſus, totus ſe dedit, ad hanc rem perquirendam percipiendamque accuratius; et felix adeo fuit, ut non ſolum vaſa hæc in variis ani malibus detegeret, ſed ut eorum originem et uſum ad chylum ex inteſtinis reſorbendum inveniret; cum antiquis vero putavit, eſſe principium hepar, et ad id lacteas venas confluere. Vide GASPARIS

et RIDDLEY aliique clari anatomici ſe talia in cerebro vidiſſe aſſeverarunt; dum alii non minus celebres, quibus ea non vidiſſe contigerat, de eorum exiſtentiâ in Cerebro dubitarunt;

PARIS ASELLII *Diſſertationem de lactibus ſeu venis lacteis.*

Viginti octo poſt annos (A. D 1651-2), JOAN. PECQUET receptaculum chyli et ductum thoracicum in brutis animalibus invenit; et demonſtravit vaſa lactea non in hepar, ſed in hoc receptaculum, ſitum in ſiniſtro latere ſuperiorum vertebrarum lumborum ſub aortâ et vaſis renis ſiniſtri, aperire; et chylum exinde per ductum thoracicum, valvulis inſtructum, ſurſum per thoracem aſcendere, et in venam ſubclaviam ſiniſtram infundi.

Unum aut alterum poſt annum, et eodem fere tempore *D. Jolivius*, in Angliâ; *Thomas Bartholinus*, in Daniâ; et *Olaus Rudbeck*, in Sueciâ, vaſa lymphatica detexerunt.

D. Jolivius (A. D. 1652) hæc vaſa celeberrimo *Gliſſonio*, Cantabrigiæ, primo monſtravit, eaque ad omnes aut plurimas ſaltem corporis partes diſtribui, et humorem aquoſum in ſe complecti aſſeruit. *Vide Gliſſon. Anat. Hepatis, cap.* XXXI.

Eodem anno, *Thomas Bartholinus* hæc vaſa obſervavit; et, anno ſequenti, edidit *hiſtoriam vaſorum lymphaticorum* ſuam, in quâ vaſa lymphatica ex hepate prodeuntia, et in aliis corporis partibus decripſit; obſcure vero et incerte de eorum ortu agit; et in dubio hærebat an ex artubus, an ex venis, an ex muſculis, vel an ex nervis, originem ducant.—*Bartholinus* tractatum etiam de Lacteis edidit; primus ductum thoracicum in homine invenit; et vaſa lactea in piſcibus primo vidit. Dicit enim, "Enimervo lacteas venas in hepar ferri obſervarunt *Aſellius*, *Walæus*, *Highmorus*; in orbe piſce id ipſum viſus ſum mihi olim videre." Vide *De lacteis thoracis, cap.* XV.

tarunt; et ex abſentiâ glandularum conglobotarum, quæ pleriſque in locis, non longe a lymphaticis decurrunt, credere videntur, viros, alias in re anatomicâ doctos, venas humore

Anno 1753, *Olaus Rudbeck* edidit *Exercitationem novam anatomicam, exhibentem ductus hepaticos aquoſos, et vaſa glandularum ſeroſa*, in quâ vaſa lymphatica, quæ anno 1650 viderat, deſcripſit, et longius *Bartholino* per varia viſcera perſecutus eſt. Propriâ manu hæc vaſa in teſte, in pulmone, in corde, et in utero, &c. variorum animalium depinxit; et licet nihil certum de eorum origine, atque uſu affirmare auſus eſt, attamen de iis et de glandulis pulcherrime diſſerit, ſuaſque conjecturas proponit.—" Uſus (dicit) itaque ſive actio horum vaſo-
' rum erit, humorem e partibus corporis et glandulis in
' lacteas cavitates et meatus ducere; ligata enim verſus
' glandulas, ſive originem ſuam, intumeſcunt; verſus
' autem lacteos ductus inaniuntur.'

' Cum vero iſtis vaſis plerumque ad poſitæ ſunt glan-
' dulæ, quas ramulis ſuis tegunt atque penetrant, non
' ab re facturam me exiſtimavi, ſi aliquas de illarum
' uſu quæſtiones vel breviſſimas moverem."

1mo, Num ſint eam ob cauſam comformatæ ut ſerum inteſtinorum, viſcerum, et aliarum partium calore exſudatum alliciant, et denuo ad veſiculam chyli, horum vaſorum auxilio tranſportent.

2do, Vel ut chylum e ſanguine exſugant, et illum quaſi e novo præparent et digerant, donec ſanguinis naturam adeptus fuerit, et corpori alimentum cedat.

3tio, Vel an illarum uſus ſit pinguedinem, vel ejus ſi mavis ſeroſam humiditatem recipere, ut illa apta fiat ad nutriendum corpus.---Et an in febribus et aliis diuturnis morbis hæ glandulæ pinguedinem liquefactam, mediantibus hiſce vaſis veſiculæ chyloſæ tranſmittant, ut inde nutrimentum habeat corpus.

Poſt eos, de quibus retuli, multi clari anatomici *Van Horne*, *Wharton*, *Malpighius*, *Cowper*, *Nuck*, *Ruyſch*,

more aqueo plenas, vel hydatides pro vaſis lymphaticis habuiſſe.—Sed ex frequentiâ vaſorum lymphaticorum in pleriſque aliis corporis partibus, de eorum exiſtentiâ in Cerebro

Ruyſch, aliique, vaſa hæc accuratius ſcrutati ſunt, aëreque et mercurio repleverunt; et figuras eorum in tabulas depingi curarunt, experimentiſque et obſervationibus uſum et originem eorum invenire nitebantur; nullus vero adeo felix fuit ut lymphaticorum exortum detegeret, et experimentis certis probaret. Alii enim a nervis, alii a muſculis, alii a glandulis, alii ab arteriis vel a venis principia emanare crediderunt. *Nuck* vero, cum copioſum aërem in vituli arteriam ſplenicam infuderit, plurimas exiguas in ſuperficie lienis vidit elèvari veſiculas, et ex iiſdem veſiculis vaſa lymphatica flatu turgida prodeuntia, lienemque perreptantia; et quo diutius arteria fuit inflata, eo majorem notavit vaſorum numerum; ita ut, hâc arte per inflictum vaſis lymphaticis vulnus aër immiſſus, membrana lienalis fere tota lymphaticis ductibus obſeſſa fuerit viſa. Unde *Nuck* conjicere cæpit vaſorum lymphaticorum exortum ab arteriarum ſurculis emanare, idque aliquando intermediâ veſiculâ.

Ex ſequentibus vero apparet, *Willis*, *Gliſſon*, *Vieuſſens*, *Ridley*, alioſque, vaſa hæc pro abſorbentibus habuiſſe, licet venas alias hoc munere etiam fungi crediderint.

'Obſervare eſt, quod ubicunque ſanguis in partem 'aliquam copioſius influat, eamque irriget, illic a ſe'ro ſuperfluo, ac inter circulandum derelicto, vapores 'aut humores aquoſi progignuntur; qui ut plurimum 'per effluvia vaporoſa foras exhalant, aut per venas, 'aut per *vaſa lymphatica* in ſanguinem reducuntur." *Willis*, *cap.* xi. *Anatomes Cerebri.*

'At vero aſcites ſolitarie incipiens non raro ob vaſa 'lactea aut lymphica vitiata exoritur.---Primo igitur '*lymphæ-ductus* quod ſpectat, vaſa hæc diverſimode in 'culpâ eſſe poſſunt; potiſſimum vero aut quod juxta

rebro nullus dubito; et ea eidem uſui inſervire ac magnus ille Medicus et Anatomicus, olim hujus Collegii Socius, THOMAS WILLIS

iis

‘ origines ſuas obſtructa, aut compreſſa humorem non ‘ excipiant; aut circa medietates, vel fines diſrupta, ‘ eam in aqualiculum profundunt. *Willis Pharm.* ‘ *ration. part.* II. *cap.* iii. *ſect.* 2.”

“ Humor aquoſus anaſarcam conſtituens omnino, aut ‘ maximâ ex parte a ſanguine procedit; iſte nimirum hæmatoſeos defectu et vitio, intra maſſam ſanguineam jugi productis, ex arteriarum finibus in majori copiâ profunditur, quam aut per venas et *lymphæ-ductus* excipi et reduci, ac per renes et poros cutis, ‘ aliaque ſeroſi laticis emiſſaria amandari queat.” *Willis Pharm. ration. part.* II. *cap.* v.

‘ Porro *lymphæ-ductus* pulmonis ſuperficies pereptantes, ubique fere membranulis interſticia integentibus ‘ includi eorumque fines in ipſa interſticia deſinere videntur.”

Et dein infra:—‘ Inſuper ne lymphæ intra ductus iſtos, ‘ a vaporibus factæ, ac ita condenſatæ, in pulmones regurgitent, denſiſſimi valvularum obices impediunt.”

Et ibid infra: ‘ Qua proter loculi ſive ſpatia iſtæc inania, ‘ ubique ex omni parte diſponuntur, quæ vapores in ‘ pulmone occluſos excipiant, et eoſdem mox condenſatos per *lymphæ-ductus*, quaſi per totidem Alembici roſtra exſtillent.”

‘ *Vaſa lymphatica*, pulmonibus egreſſa, cum ſurculis ‘ numeroſis verſus ductus thoracicos tendunt, iiſque ‘ magnâ ex parte inſeruntur.” *Willis Pharm. rat. part.* II. *cap.* I.

‘ Etenim quanquam pinguedo non primo e ſanguine ‘ prolicitur, factâ tamen colliquatione in venoſum genus ‘ commode excipitur, ſcilicet, per lymphæ-ductuum extremitates arrepta, in venas cum lymphâ defertur; ‘ quemadmodum in cadavere prædicto deprehenſa fuit. ‘ *Gliſſon de ventriculo et inteſtinis, cap.* xi.”

‘ Adjacentes

iis adſcripſerat; ad humores nempe e cavitatibus abſorbendos.

Willis originem ex cavitatibus, et uſum vaſorum

'Adjacentes autem capiti glandulas et aquoſos 'ductus, ſeu vaſa ſalivalia, tum ſuperiora tum inferiora, et vaſa lymphatica, quæ ſecretos a ſanguine, 'prædictis in glandulis, aquoſos humores reſorbent, 'clariſſimi viri *Wharthonus*, *Stenonius*, *Malpighius*, et '*Williſius*, accuratiſſime, deſcripſerunt.' *Vide Raymundi Vieuſſens Neurographiæ de Cerebro, lib.* I. *cap.* 16.

— 'Cum igitur hæc pars deprehenſa fuerit lymphæductibus inſtructa, difficilis negotii non erit, concipere genuinum glandium uſum; qui eſt, ſecernere 'pretioſum ſuccum nutritium ab influente ſanguine, et 'per lymphæ ductus eundem refundere ad refluentem, 'poſt jacturam nobiliſſimarum in cerebro relictarum, 'dum in cor revehitur.' *Vide Henrici Ridley Anat. Cerebri, cap.* vii. *page* 64. *Edit Lugduni Batavorum*, 1725.

§ 1. 'Lymphaticus quoque humor ſecernitur ab arterioſo ſanguine, et eſt liquor diaphanus, aqueus, ſubtili gelatinâ imbutus, qui peculiaribus vaſis, dictis 'lymphaticis ac pellucidis, ab ambitu corporis et ſubſtantiâ partium ad cor revehitur.'

§ 2. 'Duplex eſt origo vaſorum lymphaticorum, quædam ex ipſis arteriis prodeunt, alia ex poroſa et celluloſâ partium ſubſtantiâ naſcuntur.'

§ 4. 'Lymphatica quæ ex partium ſubſtantiâ oriuntur, 'aquoſum ſucci nutritii partem reſorbent ac revehunt 'ad cor.'

§ 7. 'Revehunt vero omnia lymphatica ex univerſo 'corpore lympham ſuam ad capſulam lumbarem et chyliferum ductum, in quem ſe exonerant.'

§ 9. 'Attenta obſervatio anatomica docet vaſa lymphatica in itinere ſuo ſemper tranſire et ſalutare glandulas conglobatas.'

§ 11.

vaſorum valvuloſorum lymphaticorum in ſuis operibus notavit; et licet permodeſte veniam poſtulat, ut de illorum uſu conjectari liceat, attamen

§ 11. ‘ Ad facilitandum lymphæ regreſſum, vaſa ‘ hæc valvulis inſtructa ſunt, et quidem ſigmoideis ‘ numeroſioribus et anguſtioribus, quæ quidem lym‘ pham libere tranſmittunt, impediunt tamen, quo mi‘ nus regurgitet.’ *Vide Freder. Hoffman Oper. Tom.* 1. *page* 57, *&c. Medicin. ration. ſyſtem. lib.* I. *ſect.* ii. *cap.* 3.

‘ Ils reportent la lymphe dans les vaiſſeaux ſanguins, ‘ ou dans les veins; il y en a dans toutes les parties de ‘ corps, ils repompent la matiere lymphatique qui s'eva‘ cue par les arteres, on peut les nommer conduits ab‘ ſorbans.---Ils recoivent la lymphe ſubtile qui ſe repand ‘ ſur la ſurface de toutes les parties, et dans les diffe‘ rentes cavités du corps, ils la reportent au ſang.’ *M. Noguez Anatomie de l'homme, cap.* 8.

--- ‘ Suſpicor tamen aliam quoque ſemitam ſubſidio ‘ eſſe, nimirum multa foraminula, quæ intra Pericar‘ dium dehiſcunt, et in vaſa qua lymphatica, qua venoſa ‘ deſinunt atque aperiuntur, ad hoc autem credendum ‘ facile adducor, cum mecum reputo, ex ſingulis ven‘ tribus effuſos interdum aqueos liquores per exhibitum ‘ fortem hydragogum aliquâ ſaltem ex parte in vaſa rur‘ ſum derivari, quod ſane contingere minime poſſet, ‘ niſi exillimi et plane cœci meatus ex membrana‘ rum ſuperficiebus ad internos tubulos, canaleſque per‘ ducerent. Accedit vero, ad leniter urgendum intra vaſ‘ cula humorem Pericardii, aſſiduus ille magnuſque Cor‘ dis ac Diaphragmatis motus, quibus neceſſario fieri ‘ debet, ut idem liquor quaſſato Pericardio, ac veluti ‘ adhibitis alterne frictionibus quaquaverſum trudatur ‘ atque impellatur per poros, et canaliculos, qui intra ‘ capſulæ illius capacitatem hiant; omnia enim in nobis

‘ ſunt

attamen hæc vaſa humorem aqueum abſorbentia ex cavitatibus Cerebri, ex cavo abdominis, ex telâ celluloſâ memorat, et pulcherrime originem

'ſunt pervia.' *Vide Jo. Mariæ Lanciſii de Motu Cordis & Ancuriſmatibus, propoſitio* xxii, *pag.* 81. Et in tabulâ tertiâ, eidem operi adjectâ, dat figuram oſtiolorum, ſive emiſſariorum lymphaticorum in cavum Pericardii, hiantium.

Anno 1755, *Alex. Monro* filius, M. D. et Anat. Profeſſor, Diſſertationem Medicam Inauguralem *Edinburgi* edidit, in quâ hæc verba habet: " Vaſa lymphatica ' valvuloſa, per totum corpus, venarum abſorbentium ' ſyſtema eſſe, neque, uti vulgo fertur, ab arteriarum ' ſurculis emanare---de eorum origine fabricâ, agendi ' ratione et uſu, ſi quando per otium licuerit, ſeorſim ' agetur." Vide pag. 55 et 56.---Et dein, anno 1757, edidit *Berolini* tractatum de venis lymphaticis valvuloſis, et de earum imprimis origine, in quo demonſtratur vaſa lymphatica valvuloſa ſyſtema eſſe vaſorum abſorbentium, e cavitatibus corporis originem ducentia.

Anno 1770, iterum edidit tractatulum de hiſce vaſis, *A State of Facts, &c.* dictum, in quo afferit ſe anno 1759 obſervaſſe vaſa lacteis ſimillima collapſa, et coloris cærulei in abdomine galli; et, eodem anno, Doctorem *Cullen* ſibi naraſſe dominum *Joanem Hunter* chirurgum *Londinenſem*, jam vaſa lymphatica in cygni collo vidiſſe.—Et anno ſequenti (1760) die 23tia Aprilis, ſe vaſa lymphatica in galli collo, quæ inflata in venam jugularem aperire viſa ſunt, et dein die ſequente vaſa lactea et lymphatica numeroſa in ſquatinâ piſce quoque vidiſſe; et, anno 1765, ſe vaſa lactea teſtudinis maritimæ argento vivo repleviſſe.---Et, ab anno 1760, ſe in Prælectionibus ſuis ſemper docuiſſe, probabile eſſe, animalia omnis generis ſyſtema vaſorum lacteorum et lymphaticorum habere, et vaſa hæc ſola abſorbere; licet confidenter aſſeverare auſus non ſit venas alias nunquam abſorbere

originem atque uſum eorum in pulmone et deſcripſit et depinxit.—WILLIS vero cum propagines plures vaſorum lymphaticorum proſequi non potuiſſet, dum tracheæ et aortæ truncos ſuperſcanderent, imaginari videtur, eos quodamodo munere exhalantium fungi, et "*aliquantum humoris lymphici pro* "*vaſorum iſtorum parietibus lubricandis im*-"*pendi.*" Hoc vero ex eo contigit, quod lymphæ ductus ſolum lymphâ repletos viderit, quâ cito deplebantur et aciem oculorum effugiebant

abſorbere donec experimenta de hac re alterius facta fuerint.

Anno 1762, *Gulielmus Hunter*, Medicus Extraordinarius ad Reginam, edidit *Commentarium Medicinale*, in quo aſſeverat, ſe jam per ſedecim annos in Prælectionibus ſuis anatomicis docuiſſe, venas valvuloſas lymphaticas liquores e cavitatibus abſorbere et ſyſtema eſſe vaſorum vaſis lacteis ſimilium; et nunc voluit vaſa hæc ſola, venas vero nunquam, liquores abſorbere.

Annus 1768, et 69, *Gulielmus Hewſon* edidit hiſtoriam vaſorum lacteorum et lymphaticorum quæ in anſere, in teſtudine maritima (*Turtle* dicta) et in ſquatinâ et aſello piſcibus obſervaverat. Vide *Philoſ. Tranſact. vol.* lvii *et* lix.

Anno 1772, *J. F. Meckel* M. D. et *Berolini* Anat. Profeſſor, qui deſcriptionem vaſorum lymphaticorum, anno 1757, publici juris fecerat, edidit *Nova experimenta et obſervationes de finibus venarum ac vaſorum lymphaticorum in ductus viſceraque excretoria corporis humani, ejuſdemque ſtructuræ utilitate*; in quibus ab experimentis factis probare nititur, extremitates venarum, æque ac vaſorum lymphaticorum, liquores e cavitatibus abſorbere, in mammis, in veſiculis ſeminalibus, in veſicâ urinariâ, et in aliis corporis humani partibus.

Qui vero venas ſolas lymphaticas abſorbere crediderunt,

effugiebant cum ea manibus pertractarentur; ſed recentiorum induſtria quæ vaſa lymphatica cerâ atque argento vivo repleverat, demonſtravit vaſa illa omnia lymphatica ex cavitatibus originem ducere, et vel in glandulas conglobatas, et dein in ductum thoracicum, vel in ipſum ductum vel in venas terminari; et vaſa hæc valvuloſa, per totum corpus, venarum abſorbentium ſyſtema eſſe.

Memoratis partibus encephali, ſupereſt ut quædam de Cerebri ſtructurâ intimâ atque uſu dicenda.

De fabricâ corticis Cerebri, a tempore HIPPOCRATIS in hunc uſque diem dubitatum eſt.

Ex nuperis MALPIGHIUS et BOERHAAVIUS, et multi alii viri celebres fabricam Cerebri totam eſſe glanduloſam voluerunt; et Cerebrum fieri ex lobis, lobos lobulis, et hos ultime folliculis.—RUYSCHIUS vero HALLERUS, atque alii, affirmarunt, Cerebrum totum vaſculoſum eſſe; nam per injectiones anatomicas apparet, longe maximam partem corticis ex vaſculis conſtare, a piæ matris arteriis dimiſſis; quæ naturaliter liquorem ſan-

runt, afferunt liquores a *Meckel* injectos, non per extremitates venarum, in cava corporis hiantes, ſed per aperturas in lateribus venarum laceratione a liquoribus nimiâ vi injectis factas in venas ipſas influiſſe.—Experimentis igitur repetitis probandum adhuc reſtat, vel venas ſolas lymphaticas abſorbere, vel venas alias hoc munere etiam fungi.

guine ſubtiliorem tranſmittunt; licet in morbis, et a ſtrangulatione ſanguinem aliquando rubrum recipiant.—Reliquam partem corticis quam nulla injectio replet, crediderunt vel eſſe venoſam, vel congeriem vaſculorum minorum; nihil enim in cortice integro apparet, unde ſuſpicaris, partem aliquam vaſculoſam, alteram glanduloſam eſſe.

Structura vero intima medullæ, multo obſcurior eſt; adhuc enim nullis obſervationibus aut experimentis certis elucidatur; ſed veriſimile eſt eam a cortice continuatam eſſe; pars enim medulloſa Cerebri, immediate ſub cortice ſita, ab eo oriri ſive continuari, uti cortex ex arteriolis piæ matris enaſci videtur.—Nullibi enim cortex reperitur, ubi non continuitate fibrarum, ſeu ſubſtantiæ, ad medullam cui cohæret deducimur; neque ullibi abſque laceratione ſeparari poteſt.—Et vaſa quæ per medullam viam faciunt, illam perforant, non tamen cohærent, neque ramos medullæ edunt; neque ullam rationem cum medullâ habere videntur; adeoque nullam originem, neque ullum cum corde commercium medulla habere poteſt, niſi quod per corticem eſt.

Structura intima nervorum eadem certe eſt ac medullæ, unde originem ducunt.

Hæc anatome de cerebro atque nervis docet; nunc quæ certa ab experimentis de eorum uſu diſcenda inquirendum reſtat.

1mo, Cerebri medullâ vellicatâ, vel irritatâ, late per omne corpus diræ convulſiones regnant; atque idem accidit, ſive pars in Cerebro ipſo, vel in cerebello, vel in medullâ ſpinali irritata fuerit.

2do, Encephalo compreſſo, ubicunque id fiat, pars aliqua corporis motu, ſenſuque privatur; ea nempe quæ nervos a parte Cerebri compreſſâ habet.

3tio, Majori aliquâ parte Cerebri compreſſâ ſequitur perturbatio animæ, delirium nempe, ſtupor, vertigo, vel aliud mentis vitium; ſublatâ vero cauſâ comprimente, hæc omnia mala ceſſant; ſi illæſa fuerit ſtructura Cerebri.

4to, Si nervus aliquis irritatus ſit, a cauſâ quâcunque ſenſum doloris excitat; et ſi irritatio magna fuerit, continuo muſculi, quos adit nervus, convulſivo motu agitantur, nullâ animæ voluntate coercendo.

5to, Diſſecto vel fortiter compreſſo, aut ligato nervo, partes, quibus diſtribuitur, et a Cerebro remotiores ſunt, ſtatim paralyticæ reſolvuntur; et plerumque lento marcore contabeſcunt; diſſecto aut compreſſo nervo optico, perit viſus *; nervo auditorio, auditus, &c.

Et

* Menſe Septembris, anni 1773, Fanny Bofoy, filia 20 annos nata, ex ſuppreſſione fluxus menſtrui, dolore capitis et paroxyſmis convulſivis, qui ſemel vel bis de die recurrebant correpta eſt, et in *Noſocomium Sancti*

Et omnes iſti effectus ita ſe habent, ut partes a læſione nervi patiantur, quæ a Cerebro remotiores ſunt; nihil vero eæ quæ Cerebro propriores, niſi irritatio magna fuerit.

6to, Si nervus ſolum compreſſus fuerit, donec partes inferiores motu priventur, nec læſa fuerit ſtructura nervi; tunc ſoluto vel liberato nervo, redit et robur, et motus partium.

Hiſce poſitis, non videtur ullum dubium cauſam omnis ſenſus et motus animalis, quæcunque ea fuerit, in Cerebro ac medullâ ſpinali primitus exiſtere; et eam exinde, per nervos, ad omnes corporis humani partes deferri.

Quæ vero eſt natura cauſæ hujus primariæ? et quomodo a Cerebro per nervos propogatur?

Multi ingenioſi viri voluere Cerebrum et nervos ſemper repletos eſſe, vel fluido ner-

ti Georgii die 24 Novembris recepta.—Eo tempore de dolore fere continuo capitis conquerebatur; convulſiones vero tertiâ tantum vel 4ta die aggrediebantur.—Die 26ta Decembris menſtrua fluebant, ægra tamen non exinde adjuta fuit; et, initio Februarii anni ſequentis, cœca facta eſt.—Multa et varia medicamenta ſumpſit, emplaſtra veſicatoria capiti applicata; et ſetaceum nuchæ et cauſtica pone aures inſita fuere, ſine ullo levamine mali; ægra enim tandem a malo victa die 13tia animam expiravit.—Libra circiter humoris limpidi ventriculos lateralesCerebri diſtendebat; et tumor medulloſus duriuſcullus, ovi gallinacei dimidium magnitudine æquans, nervis opticis conjunctis inſidebat, eoſque fortiter comprimebat.

veo,

veo, vel ſpiritu animali, vel aurâ æthereâ, vel materiâ electricâ, cujus ope et ſenſationes, et imperia mentis ad ultimas corporis partes defferi.—Dum alii imaginati ſunt nervos medulloſos, chordas eſſe tenſas et elaſticas, quæ percuſſæ vibrant, et vibrationes ſuas a Cerebro ad extrema corporis, et ab extremis ad Cerebrum communicarunt.

Sed certe hæc omnia nobis ignota ſunt, et forſan ignota in æternum remanebunt; ſtructura enim intima medullæ Cerebri et nervorum adeo ſubtilis eſt, ut aciem omnem ſenſuum noſtrorum effugiat; et veriſimile videtur ut natura animæ et nexus ejus cum corpore materiali nunquam a mortalibus rite intellecta erit; et, dum hæc in obſcuris lateant, omnia quæ dicta, vel dicenda, meræ erunt hypotheſes et luſus fœcundi ingenii; nullis certis obſervationibus vel experimentis ſtabilita, et ideo auditores ſpectatiſſimi tempus veſtrum ulterius non conteram in fictis et incertis enarrandis.

De Morbis quibuſdam Capitis.

EXPLICATA Cerebri et nervorum anatome, nunc de quibuſdam capitis morbis dicere propoſitum eſt; ſcilicet,

1. De inflammatione acutâ Cerebri.
2. De injuriis Cerebro factis ab ictubus.
3. De inflammatione putridâ Cerebri.
4. De anginâ putridâ ulceroſâ.
5. De hemicraniâ.
6. De dolore capitis.

Et in iis pertractandis ne tempus mihi deeſſet, in animo eſt, ſymptomata tantum præcipua memorare, et remedia quædam quæ vel profuiſſe vel nocuiſſe vidi.

1. *De Inflammatione acutâ Cerebri.*

De inflammatione Cerebri, quæ acuta vocatur, obſervandum eſt, quod dolore acutiſſimo capitis incipiat, cum pulſu celeri atque duro, et aliis febris ſymptomatibus; et inflammatione auctâ ſplendent, rubentque oculi. —Cito deliriunt ægri, et vomitu æruginoſo et convulſionibus aliquando ex irritato Cerebro, tentantur.

Ut

Ut inflammationes aliæ, ita hæc quoque, vel reſolvitur, vel ſuppuratione, vel gangrænâ terminatur.

Hic morbus in calidis regionibus ſæpe, in his vero raro idiopathicus occurrit; ſed ſymptomaticus, in morbis aliis acutis, aliquando obſervatur.

Quæ ſit cauſa hujus vel aliæ cujuſcunque inflammationis, certis experimentis et obſervationibus non adhuc ſtabilitur.

Magnus ille medicus BOERHAAVIUS voluit; inflammationes omnes oriri, ex obſtructione arteriarum minorum, cum auctâ vi, atque motu ſanguinis exinde ſecutis; quæ arterias obſtructas magis, magiſque diſtendebant et dolorem atque febrem excitabant.

Sed quicunque in praxi medicâ multum verſatur, vix credere poteſt, dolorem, febrem, et alia ſymptomata, inflammationes magnas comitantia, ex ſimplici arteriarum obſtructione exoriri, cum quotidie viderit magnas arterias manu chirurgicâ ligatas, obſtructas in caſibus polyporum et aneuriſmatum, et compreſſas penicillis et ligaturis poſt arteriatomiam in temporibus, ſine ullâ magnâ inflammatione exinde ſecutâ.—Hinc voluere alii, ſanguinem vel materiem vaſa obſtruentem, non ſolum obſtructam, ſed et acrem eſſe debere, antea quam ulla inflammationis ſigna apparuerint.—Dum alii, qui partes aliquando cito inflammatas, et illico fere ſanitati reſtitutas viderent ſine ulla partium læſione,

læſione, crediderunt arterias partis inflammatæ nullibi ſanguine obſtructas eſſe; ſed quod fluida acria in membranam cellularem ſolummodo eſſe diffuſa, quæ nervos ſtimulabant, motum oſcillatorium arteriarum augebant, et fluxum ſanguinis in partes ita affectas, incitabant.—Ex repititâ obſervatione partium inflammatarum, mihi videtur, inflammationes plerumque ab acri quâdam materie, vel in arteriis, vel in telâ celluloſâ partis affectæ, vel a cauſâ quâdam fibras et nervos irritanti, originem ducere; et arterias in inflammationibus quæ ſuppurationem generant, obſtructas eſſe, vel in initio, vel in aliis morbi gradibus.

Inflammatio Cerebri ſemper periculoſiſſimus eſt morbus; et ſi ſuppuratio ſupervenerit plerumque, ſi gangræna ſemper lethalis eſt; et igitur in initio morbi totis viribus enitendum eſt, ut reſolvatur inflammatio.—Sanguis, liberâ manu detrahendus; et venæſectiones largæ repetendæ, quouſque vires ſinant:—et dein ſi dolor capitis, delirium et febris adhuc perſtant, ſed pulſus ita debilis fuerit, ut largas evacuationes non ulterius perferat, cucurbitulis occipiti applicatis, vel hirudinibus tempori, ſanguis minori copiâ, uti opus fuerit, evacuari poſſit. Alvus ducenda medicamentis laxativis et purgantibus, et repetitis clyſteribus.—Sanguis refrigerandus potu tenui, acidulo atque blando; et dietâ tenuiſſimâ humectante.—Et vis febris minuenda

minuenda uſu remediorum antiphlogiſticorum, ſcilicet ſalium neutralium, acidorum vegetabilium, fructuum horœorum, vel aliorum hujuſmodi.

Si morbus adhuc proceſſerit, caput ad cutem tondere, et decoctis emollientibus fovere, et dein emplaſtrum veſicatorium ſummo capiti applicare convenit; poſt enim repetitas venæſectiones et alvi ductionem, emplaſtra veſicatoria multum proſunt in inflammationibus acutis reſolvendis:—et ad hoc tempus opiata et anodyna ſomnum conciliando et dolorem leniendo cum ægri ſummo commodo exhibentur; ſed de eorum uſu monendum eſt, quod ſi in initio, ante debitas evacuationes, adhibeantur multum ſæpe noceant.

Pediluvia et balnea in hoc morbo profuiſſe dicuntur, ſed de eorum uſu in inflammationibus Cerebri nihil ab experientiâ propriâ dicendum habeo.

Ab initio ad finem uſque hujus morbi amplo conclavi tenendus æger, ubi aër purus eſt; neque multis veſtimentis ſtrangulandus, ſed levibus tantum velandus eſt.

2. *De injuriis capiti factis ab ictubus, &c.*

Inflammationes a cauſis externis, quales ſunt ictus, lapſus ex alto, &c. unde fractum eſt calvariæ os, aut læſum Cerebrum, iiſdem

E fere

fere remediis curantur, niſi quatenus chirurgi manum requirunt; et igitur de his pauca tantum dicam.

Obſervandum eſt, quod poſt ictus capitis, non ſemper facile ſit dijudicare de injuriâ capiti factâ; vel ex modo quo caput percuſſum fuerat, vel ex levitate, vel vehementiâ ſymptomatum, ſtatim ſupervenientium; nam aliquando ex ictu quod leviſſimum eſſe crederes, dira ſequuntur mala; ut accidit virgini illæ, Nerii filiæ, memoratæ ab Hippocrate; quæ, a mulierculâ amicâ ludente, latâ manu in ſinciput percuſſa, ſtatim vertigine capta eſt, et dein febre corripiebatur; ſeptimâ die circa aurem dextram pus proceſſit graveolens, et nonâ mortua eſt.

Et e contra, quotidie occurrunt exempla hominum, qui ictubus gravibus proſtrati, ſtatim ſenſu motuque privantur; attamen ſine multo incommodo paſſo, cito ſanitati reſtituuntur.

Et aliquando per dies plures, quatuor, ſeptem aut viginti poſt ictus in caput, ſatis bene ſe habere videntur percuſſi, et dein graviſſimis ſymptomatibus aggrediuntur; quorum exemplum unum aut alterum hic memorare liceat.

Octodecem ab hinc annis (A. D. 1756) homo ex alto prolapſus, ſtatim comatoſus Noſocomio Sancti *Georgii* advectus eſt; ubi largâ inciſione, per integumenta calvariæ, factâ

factâ ſuper os parietale, quod terram percuſſerat, nulla fracturæ ſigna in cranio obſervari potuerunt; et poſt duas venæſectiones liberas, et totidem ſumptas catharticorum doſes ſymptomata comatoſa evanuere omnia, et ſenſus rediit:—Per dies octo homo ſatis bene ſe habere videbatur, ſed die nonâ vertigine, nauſeâ, atque aliis ſymptomatibus læſi Cerebri corripiebatur. Expertiſſimus dein chirurgus terebram illæ calvariæ parti applicavit, quæ ictum acceperat;—cum terebra ad diploen penetraverat, puris pauxillum e vulnere emanavit, ſed nulla alia ſigna oſſis fracti vel læſi apparuere; neque ſymptomata oppreſſi Cerebri ab operatione chirurgicâ levabantur; et die duodecimâ a lapſu mortuus eſt æger.—Die ſequenti, apertâ calvariâ, nulla fractura oſſium obſervari potuit; ſed tota diploe oſſis parietalis fluidis extravaſatis fuit repleta; et ſub hoc oſſe dura mater, et ſuperficies Cerebri leviter inflammata et pure madida inventa eſt; et ſub baſe Cerebri prope foramen magnum oſſis occipitis ſanguis extravaſatus, et parva quantitas puris inter calvariam, et duram matrem reperiebantur; et intus, ſuperficies Cerebri pure madida videbatur.

Menſe Septembris ejuſdem anni, vir quidam, qui a calce equitis in fronte vulneratus fuerat, ad Noſocomium Sancti *Georgii* defertus eſt; ubi vulnere examinato, et nullis fracti oſſis ſignis repertis, ſanguis e brachio

libere mittebatur, et linteola vulneri impoſita erant; et dein ſumptis quibuſdam doſibus medicamenti laxativi, per quatuor hebdomadas ſatis bene ſe habere, et vulnus benigne ſanare videbatur; ad finem vero quintæ ſeptimanæ ab ictu, cum vulnus externum totum fere cicatrice obductum eſſet, ſubito vertigine et ſtupore corripiebatur, et pauxillum puris ex angulo vulneris, prope naſum, emanavit. Specillo dein in vulnus immiſſo, oſſa fracta inventa fuere; et ſinus frontalis dexter pure repletus. Subinde vulnus dilatatum fuit, et oſſa fracta, terebræ ope remota; et puris quantitas e vulnere fluebat, ſed intra viginti quatuor horas vulneratus animam expiravit.

Die ſequenti cranium aperiebatur; ac et tabula externa, et interna oſſea ſinus frontalis dextri fracta fuit; et magna ſatis copia puris, et liquorum extravaſatorum inter duram matrem et cranium, et inter hanc membranam et cerebrum inventa eſt.

Injuriæ oſſibus capitis ab ictu factæ, aliquando, non niſi poſt annos, ſe manifeſtarunt; cujus ſequens exemplum notatu dignum eſt.

Anno 1740, Præfectus ſeu Primarius navis mercatoriæ poſt pugnam cum navi inimicâ, nautici Hiſpanici gladio in ſummâ fronte vulneratus eſt; vulnus cito ſanatum fuit, ſed per plures annos frequenter dolore acutiſſimo capitis vexabatur, et tandem vulnus recrudeſcebat; pus e vulnere emanavit, et os

carie

carie affectum inventum eſt. Novem poſt annos cum *Edinburgi* veniret, totum os frontis carie corruptum erat; aliter vero optimâ ſanitate fruebatur. Remotâ, ope terebræ, totâ fere parte ſuperiori oſſis frontis, ad ſupercilia fere uſque, ſuperficies vel duræ matris, vel Cerebri obducta erat materie fœtidâ cineraceâ, ad craſſitiem quadrantis pollicis; parte cujus remotâ, ſubtus caro rubens pullulans ubique videbatur. Intra ſpatium vero decem vel duodecem dierum tota hæc materies cineracea in formâ puris diffluebat; et vulnus carne rubente, quæ cito in callum oſſeum induravit, erat obductum; et per totum curationis tempus optimâ fruebatur ſanitate.

Diu in dubio hærebam, an caro illa rubra a durâ meninge, vel a Cerebro pullulaverat; expertiſſimus vero chirurgus D. Middleton mihi narravit, ſe olim ſimilem caſum tractaſſe, ubi viderat carnem rubentem a durâ matre exorientem, quæ poſtea in callum oſſeum induraverat.

Plures hujuſmodi hiſtorias enarrare inutile erit; ex dictis enim apparet, ſigna læſi Cerebri ſæpe non niſi poſt dies plures, vel ſeptimanas certe diſtingui poſſe; et injuriam oſſibus ab ictu factam, non niſi poſt annos aliquando ſe manifeſtare; et exinde apparet etiam, quam neceſſarium ſit, poſt injurias capiti factas, partem læſam diligentiſſime examinare; ſanguinem liberâ manu mittere; alvum

vum ducere; et aliis modis inflammationem, vel præcavere, vel reſolvere, tentare.

3. *De inflammatione putrida Cerebri, et de febre putridâ malignâ.*

Hæc de inflammatione acutâ Cerebri, et deinjuriis capiti, factis ſufficiant; nunc pauca de aliâ inflammationis Cerebri ſpecie dicenda ſunt; illa nempe quæ in febribus putridis petechialibus, ſeu malignis, quotide occurrit*. In

* Febres putridæ malignæ oriri videntur a materiâ quâdam vel in ſanguinem abſorptâ, vel in eo natâ; quæ fermenti putridi vicem agens, ſanguinem humoreſque alios corporis humani acrimoniâ ſuâ inquinat atque ſolvit. In aëre corrupto, ac inquinato, malignitatis ſeminium ſæpiſſime hoſpitatur, ac vel in pulmonem inſpiratur vel cum cibis deglutitur; — hinc febres putridæ frequentiſſime occurrunt, in caſtris ubi magna militum multitudo diu in iiſdem locis æſtate vel ineunte autumno conſiſtat, et aër putridis effluviis rerum corruptarum, inquinatur; — in locis poſt magna prælia, ubi cadavera hominum, equitumque, et aliorum animalium inſepulta, manent; — in urbibus, humili terrâ ſitis, ubi magnus numerus pecudum quottannis mactatur, et purgamenta putreſcere, permittuntur.—In locis humilibus ubi terra humida et paludoſa eſt, et aqua impura ſub finem æſtatis vel autumno putreſcit; — et in locis omnibus, effluviis putridis corporum animalium, et vegetabilium corruptorum, repletis.

Generantur quoque febres hujuſmodi in locis ubi aër corrumpitur halitibus, et effluviis nimiæ turbæ hominum in eodem loco, vel in conclavi nimis exiguô et minus perflatô concluſorum; et hinc frequenter occurrunt, in navibus bellicis, in Noſocomiis, et in carceribus niſi cameræ, vel cubicula magna, et bene perflata, et quam munda ſervata, ſint.—Generantur quoque a victu pravo, ab inopiâ

In his febribus oculi rubent, ægri deliriunt multum, et de dolore capitis conqueruntur, ſed non adeo acuto, ac illi qui verâ inflammatione capitis, laborant.

In

inopiâ cibi vegetabilis, ab accelerato nimis ſanguinis motu, et ab aliis cauſis quæ ſanguinem magis putreſcentem reddit; hinc in urbibus obſeſſis; et in temporibus anonæ caritatis frequentes inter populum graſſantur; et quotidie homines invadere obſervantur qui ſanguinem, exercitio in ſole calente, vel potu liquorum ſpirituoſorum, excâlefaciunt.

Pauperes in hâc urbe frequentiſſime, divites rarius, occupat hic morbus; pauperes enim victu ſæpe pravo utuntur, et in domibus immundis, et minus perflatis vitam degunt.

Febres illæ, ſemel genitæ, naturæ contagioſæ ſunt; et non ſolum aëris, et alimentorum vitio, ſed etiam ægrotantium conſortio contrahi valent: Et in navibus bellicis, in Noſocomiis et in carceribus nimiâ turbâ hominum repletis et immundis ſervatis, ita aliquando malignæ et contagioſæ fiunt ut medentes miniſtrantes, alioſque, qui aërem eundem cum ægrotis reſpirant, arripiant, ſtrageſque immanes edant; nullis ſæpe remediis coercendæ, dum ægroti iiſdem in locis decumbunt, iiſdemque contagionis cauſis manent expoſiti.

Attamen notatu dignum eſt quod, ubi morbus hic ſingularis eſt, vel ubi unum tantum aut alterum hominem invadit, non adeo contagioſus aut periculoſus ſit, ac vulgo creditur, ſi ægri bene curentur mundi ſerventur, et in conclavi magno et bene perflato teneantur; quottannis enim magnus numerus ægrotorum hâc febre laborantium, in Noſocomium Sancti *Georgii* recipiuntur; pauci ex eâ intereunt; et rariſſime alios ægros aut miniſtrantes corripit.

Riverius, *Mindererus*, aliique auctores, exiſtimarunt febrem hanc malignam petechialem, et febrem peſtilentem, febres eſſe ejuſdem generis, et gradu tantum malignitatis

In cadaveribus eorum, qui in hâc febre ſuccubuere, ſuperficies Cerebri plerumque rubra, et quaſi inflammata fuit; et aliquando abſceſſus in cerebro inventi ſunt.

Monendum vero eſt, quod in febribus hujus generis ſanguis in vaſis ſolutus, atque fluidus nimis ſit; et membranæ fere omnes in cavitatibus magnis; ſcilicet, in capite, thorace, et abdomine, poſt mortem rubræ et lividæ plerumque appareant; et quod materies febrilis in illas partes, et in organa glanduloſa, aliquando incidat, et abſceſſus ibi formet.—An vero color hic rubeus oritur ex ſpecie veræ inflammationis, an ex ſanguine rubro nimis diſſoluto, vaſa ingrediente minora quam ea in quibus naturaliter circulat, dicere non audeo; nec aſſeverare liceat pus ſemper in illis partibus corporis gigni in quibus collectum invenitur; nam in illis febribus putridis ſæpe obſervavi, verum pus, et magnâ

lignitatis differre; et utraſque eâdem methodo curativâ, eâdemque materiâ medicâ oppugnari debere; et certe ex hiſtoriâ medicâ apparet, morbos illos ex iiſdem ſæpe cauſis oriri, et iiſdem remediis ſanari; et febrem petechialem tumoribus glandularum parotidum et bubonibus ſtipatum peſti ipſæ quam proxime naturâ ſuâ appropinquare, et peſtim ſæpe ab auctoribus vocatam fuiſſe. Vide *Mindereri*, *Riverii*, *Diemerbroockii*, et *Hoffmanni* opera.—Tractatum de Peſte a *Joanne Woodal*, additum libro ſuo *The Surgeons mate* dicto, Londini A. D. 1653, et 1655, edit.——Et hiſtoriam peſtis, quæ quottanis inter populum *Conſtantinopoli* graſſatur, ab ingenioſo, et probo viro, *Mordach Mackenzie*, in *Philoſophical Tranſactions*, *vol.* liv. *art.* xi. relatam.

magnâ quidem copiâ deponi ſatis ſubito in quaſdam corporis partes, atque exinde educi, licet inflammationis ſigna per parvum tempus ſolummodo in his partibus prægreſſa fuiſſent; et nulla ſigna docuiſſent pus in aliis corporis locis latuiſſe prius, quod venis reſorptum, ad hæc loca deponi potuiſſet.—Hinc conſentio, cum magno illo medico, *Gerardo Van Sweiten*, cauſam materialem febrium, præcipue putridarum, per febrem ſic ſubigi, et mutari aliquando, ut puris analogam naturam acquirat, licet adhuc cum reliquis humoribus per vaſa fluat.

Utcunque vero id ſit, curatio Cerebri inflammati, ſeu rubeſcentis in febribus petechialibus, valde diverſa eſt inſtituenda, ab illâ, quæ in acutâ Cerebri inflammatione jam laudata fuit.

In illis enim febribus venæſectiones repetitæ, et largæ evacuationes aliæ, pulſum nimis debilitant, vires proſternunt, et ægros ſæpe in orcum præcipitant.—Attamen in initio febrium hujuſmodi, ſi febris fortis fuerit, modica venæſectio prodeſt †: et ſi die 4tâ,

† De venæ ſectione medici adhuc inter ſe diſſentierunt, an in febribus malignis contagioſis proſit vel noceat? *Hoffmanus*, multiplici edoctus obſervatione, verum eſſe generalem hunc practicum canonem voluit: ‘ Si corpus eſt admodum plethoricum, amplis vaſis in-‘ ſtructum, ſanguinis miſſioniaſſuetum, ſi morbus ſanum ‘ antea corpus corripuit, nec a communi ad putredinem ‘ inclinante aëris vitio abortus, ſi vehementer ſtatim ca-

4tâ, 6tâ, vel octavâ, &c. delirium, rubeus oculorum color, et alia ſymptomata monſtrent, cerebrum multum affectum eſſe,

' put petit, ac delirium metuendum, tum utique ante ' invaſionem, tam ad præſervationem, quam etiam mox ' in principio, nunquam nocere poteſt moderata ſanguinis miſſio in pede; quin ſub his circumſtantiis in morbo hungarico, ipſâque peſtilentiâ veneſectio eſt utiliſſima.' Vide *Hoffman. Oper. Tom.* 2. *pag.* 91. *ſect.* 1. *cap.* xi. *obſ.* vi

Et ingenioſus et honeſtiſſimus vir, *Joanes Hume*, Curator ad res ſauciorum et ægrotantium Claſſis *Britanniæ* agendas, qui per triginta et ultra annos medicinam in Claſſe fecerat, mihi narravit, quod cum medicinam primus exerceret, creditum tunc vulgo fuiſſe venæſectionem ſemper in febribus putridis nocere. Cum vero febres hujuſmodi increbuere, multique, methodis medendi tunc laudatis curati, animam exſpirarunt, in animo ſuo decrevit plethoricis et robuſtis quibuſdam in morbi initio venam incidere; felixque adeo eventus fuit ut ſemper poſtea hanc praxin continuaverit; niſi ægrotus ætate provectus, vel nimis debilis, fuerit; obſervavit tamen quod, licet venæſectio in initio morbi proficerit, ſemper fere nocerit ubi morbus inveteraverat, et vires jam fractæ fuere. Poſt venæſectionem ſtatim emeticum, et deinde laxativum medicamentum adhibuit, quod ad ægri ſalutem multum contulit.

D. *Roup*, in tractu ſuo, *De morbis navigantium*, hæc verba habet, ' Per hunc vero facilem et ſimplicem tractandi ægros modum tanta perfeci, ut cum vanum timorem ergo venæſectiones in his morbis putredinem augentes, mihi in initio formatum, ſepoſueram, nemo amplius in nave obierit.'

In febribus putridis nocet venæſectio libera et repetita; nocet quoque venæſectio cum morbus jam per tempus aliquot continuaverit, ſi pulſus parvus atque debilis, et vires jam fractæ ſint.---Errant æque qui ſanguinem liberâ manu in febribus putridis mittunt, ac illi qui venæſectionem omnino omittunt.

et

et ſi pulſus durus atque fortis ſit, et vires nondum exhauſtæ, utile erit ſanguinem ad uncias ſex vel octo detrahere; et ſi exinde evacuatio hujuſmodi neceſſaria videatur, ſanguis aut per cucurbitulas nuchæ, vel per hirudines temporibus applicatas, mitti poteſt, pro ratione virium.

In initio morbi præcipue ſi lingua ſordida, vel æger nauſeâ vexetur, convenit plerumque vomitum ciere, vel ſcrupulo rad. ipecacuanæ, vel grano uno, aut altero Tartari Emitici in aqua ſoluto; ut ventriculi colluvies ejiciatur, ne venis lacteis et lymphaticis abſorbeatur, et pro fomite morbi inſerviat; vel diarrheam moleſtam ad ſtatum, vel inclinatâ jam febre inducat.

Ex eâdem ratione alvus in initio laxanda, ut materies omnis putrida, in inteſtinis collecta, foris eliminetur; et in morbi proceſſu inteſtina craſſa, clyſterum ope evacuanda, * et aliquando

* Celeberrimus *Hoffmannus* in tom 2. Oper. pag. 87. ſect. 1. cap. xi. ita loquitur: ‘ Mihi omnino primum et ‘ multiplici obſervatione confirmatum, quicquid in pu‘ tridis malignis et peſtilentibus febribus curandis expec‘ tandum ab arte, id maxime in eo contineri, ut medicus ‘ convenienti tempore ea uſurpet remedia quæ ad alvum ‘ ſolvendam ſine damno faciunt.’ Et dein,---‘ Ita nihil ‘ certe hanc in rem magis proficuum iis que blande et ‘ placide alvum ſubducunt.’---Obſervat etiam:---‘ In ‘ morbo declinante nulla magis ſalutaris excretio, quam ‘ quæ ſit conveniente tempore per alvum. Ego certe ‘ praxi quinquaginta et aliquot annorum uberius con‘ firmatum habeo, rarius ſolo ſudore et hæmorrhagia,

 ‘ ſe

aliquando uſu medicamentorum quæ alvum leniter et placide ſubducunt.

Per dies primas medicamenta refrigerantia plerumque conveniunt, et dein alvo ſemel laxatâ, nobile illud remedium, cortex Peruvianus in his febribus putridis, poſt quartam, quintam, vel ſeptimam diem, cum petechiæ jam in cute apparuerint, plerumque plus aliis quibuſcunque remediis opitulatur; adjunctis iis, quæ phrenitidi, et aliis ſymptomatibus, conveniunt; eodem tempore, emplaſtra veſicatoria capiti, membriſque applicata, ſæpe uſui ſunt.—Et ſi pulſus debilior fiat, vel vires labefacere incipiant, utile erit confectionem cardiacam, camphoram, radicem ſerpentariæ Virginianæ, vel alia remedia calidiora cortici Peruviano adjungere; et vinum generoſum liberâ manu adhibere.

‘ ſed frequentius per diarrhœam ſeptimo, nono vel undecimo die erumpentem, ſolutos fuiſſe hos morbos; et viciſſim nihil perniciοſius fuiſſe diarrhœâ gravi ſtatim inter initia, vel alvi fluxu critico cohibito.’

Anno 1766, *Carolus Strack*, M. D. et Prof. Medicinæ in Univerſitate Maguntinâ, edidit *Obſervationes medicinales de morbo cum petechiis*; in quo aſſerit, Febrem petechialem originem ducere a putridis rebus quæ in infimo ventre reſedêre; ſive hæ a vitiatis cibis ſuperſint, ſive a vermibus, ſive ab aliâ corruptâ colluvie quæ ibidem confluxit; morbumque profligandum eſſe, colluviem putridam in inteſtinis collectam evacuando, repetito uſu medicamentorum purgantium; multoſque caſus ægrotantium refert, qui hâc methodo ſanitati reſtituti fuere.

Cum

Cum ſanguis in hoc morbo nimis plerumque ſit ſolutus, et humores putreſcentes, expedit ſæpe guttulas aliquot ſpiritus vitrioli, cum liquore aliquo idoneo mixtas, ægris 4tâ vel 6tâ quâque horâ propinandas adhibere; et potum communem ſucco citri, vel aurantii acidulum facere.

Et ubi cutis ac lingua aridæ fuere, et ſecretiones nimis tardæ, aliquando ſextam vel octavam partem grani unius tartari emetici ſingulis corticis Peruviani doſibus additam profuiſſe vidi *.

Ac obſervatu dignum eſt, corticem Peruvianum certius indicari in febribus malignis, et meliores effectus edere, ubi petechiæ jam apparuerint, quam ubi nullæ eruptiones petechiales in cute obſervari poſſunt †.

Sed

* *Ebenezer Gilchriſt*, medicus celebris, laudat balneorum uſum in febribus, ubi lingua ſicca et arida eſt, ac delirium ſimul adeſt; caſuſque nonos enarrat ubi ægroti hâc methodo ſanitati reſtituti fuere. Vide *The Appendix* to his Book on *The uſe of ſea voyages in Medicine.* Ab experientiâ tamen repetitâ diſcendum adhuc reſtat, in quibus febribus, et quo tempore febrium balnea magis conveniunt. Operæ certe pretium eſt, hoc remedium tentare, cum omnibus jam notum ſit, deſcenſum in aquam calidam fibras membranaſque omnes corporis humani humectare et emollire, cutemque magis perſpirabilem reddere, ac ſpaſmos nervorum ſolvere.

† Multis abhinc annis *Cortex Peruvianus* in morbis putridis adhibitus fuit. *Bern. Ramazzini* hiſtoriam febris petechialis enarat, ad quam oppugnandam in ſubſidium quoque accitus eſt cortex Peruvianus— *Cl. Amyandus*, inter alia, nunciavit Academiæ chirurgicæ Pariſinæ,

Sed licet cortex Peruvianus plerumque optimum ſit remedium, illud tamen monendum habeo, quod non ſemper omnibus congruat; et alia remedia melius interdum votis reſpondeant; qualia ſunt hauſtuli cardiaci, julepum e moſcho, bolus e camphorâ,

næ, quod *Ruſworthus* chirurgus merito ſuo celebris, anno 1721, die 23 May ſcripſerit ad illuſtrem *Hans Sloane*, ſe anno. 1694, chirurgum marinum aliquot homines febre malignâ, cum bubonibus peſtilentibus adfectos in nave ſanaſſe per corticem Peruvianum. *Vide notam ad pag.* 264 *Verſionis Gallicæ Philoſophicarum Tranſactionum, an* 1732 *et J. Fr. Schreiber. obſ. et cogit. de peſtilentiâ in Ucrania, an.* 1738-9, *pag.* 84, *edit. Petropoli, an.* 1750—Et *Strother, Huxham, Pringle,* aliique medici commendarunt tincturas et decocta corticis Peruviani in febribus petechialibus; *De Haen* vero, et *Haſenohrl,* primi, hunc corticem ad unciam et ultra quotidie in febre putridâ continuâ adhibuere.

Datur quoque cortex Peruvianus optimo cum effectu in anginâ putridâ ulceroſâ—in gangrænis—in variolis mali generis, et in multis aliis morbis putridis.

Et commendatur quoque in ipſa peſte. *Morton* narrat, facultatem medicinalem Neapolitanam, corticem Peruvianum in peſtis curatione adhibendum juſſiſſe. Vide *append. ad ſecundam exercitationem, de febribus, ab an.* 1658 *ad an.* 1691 *graſſantibus---Jo. Arthburtnot* voluit corticem Peruvianum remedium eſſe prophylacticum in peſte, et narrat hiſtoriam chirurgi cujuſdam, qui ſe ipſum a peſte liberum, Marſilii, anno 1720, corticis Peruviani uſu conſervavit. *Vide Arthburtnot on the effects of air, page* 193, *Et ingenioſus Murdoch Mackenzy*, Conſtantinopoli, olim medicus, in hiſtoriâ peſtis quæ quottannis fere Conſtantinopoli inter populum graſſatur; ait corticem Peruvianum in optimum ceſſiſſe remedium; eandemque fere medendi methodum peſti profuiſſe, ac quæ pro febre putridâ petechiali hic ſupra laudata eſt. *Vide Philoſ. Tranſactions, vol.* 54. *art.* xi. *for the year* 1764.

decoctum

decoctum radicis ſerpentariæ, vel alia medicamenta præſenti ægroti conditioni accommodata *.

Atque

* Nihil de uſu aëris in morbis putridis ab experientiâ propriâ dicendum habeo; reſtat adhuc ab experientiâ diſcendum an liquores aëre repleti, vel aër a ſalibus alcalinis ſeparatus febribus putridis conveniant? Quadraginta abhinc annis clariſſimus *St. Hales* invenit aërem in calculis veſicæ urinariæ, et in ſalibus alcalinis, multiſque in aliis corporibus ſolidis exiſtere, qui exinde ſeparari poteſt additamento acidorum, vel aliorum coporum quæ majorem habent attractionem cum corpore cui aër unitur, quam aër ipſe.

Anno 1755, *Dominus Venel* edidit Hiſtoiiam analyſis Chymicæ aquarum Seltzeranarum; in quâ demonſtravit, Aërem, et non acidum, cauſam eſſe guſtus aciduli ſpirituoſi in aquis mineralibus acidulis; viamque monſtravit quo modo aer a ſalibus alcalinis ſeparatus cum aquâ uniri, et quo modo exinde aqua acidula, aquis mineralibus, naturalibus ſimilis, fieri poteſt. Vide *Memoires de Mathematique, et de Phyſique, preſenté á l' Academie Royale des Sciences, et lues dans ſes Aſſemblées*, *Tom.* II. *pag.* liii. *publié á Paris*, 1755.

Et *Dominus Laſonne*, dum analyſin chymicam aquarum balneorum de Vichy fecit, invenit terram et ferrum in aquis mineralibus aliquando ſolutum eſſe aëris ope. Vide *Memoires de l'Academie de Sciences pour l' année* 1753, *publié á Paris*, 1757.—Quæ omnia jam confirmata ſunt a Domino *Le Roy*, Prof. Med. Monſpel. in editione alterâ libri ſui *de aquarum mineralium naturâ et uſu*, *edit. Monſpelii*, *A. D.* 1762, et dein, a claro et nobili viro *H. Cavendiſh*, et a dominis *Lane*, *Prieſtly* aliiſque. Vide *Philoſophical tranſactions*, *vol.* 57, *et* 59, *et* 62, *pro annis* 1767-69, *et* 1772.

Anno 1764, ingenioſiſſimus D, *Macbride*, in libro *Experimental Eſſays* dicto, variis experimentis probavit aërem, a ſalibus alcalinis, et a liquoribus fermentantibus ſeparatum, vim ſummam antiſepticam poſſidere, et non ſolum

Atque hic ex re erit obſervare, quod febres hujuſmodi ſæpe terminentur ſudore profuſo, qui per horas 24, vel plures perſtat; et igitur, ſi in curſu morbi ſudor inceperit, potu copioſo tepido, et lenioribus medicamentis diaphoreticis promoveri debeat; præcipue ſi ſudor ſit profuſus, ac calidus, et febris ſymptomata exinde leventur.

Per gradus omnes febris petechialis, dieta humectans, ex vegetabili familia petita, cum potu copioſo acidulo * utiliſſima eſt; et fructus

ſolum corpora animalia a putrefactione conſervare, ſed etiam putrefacta iterum dulcia ſive incorrupta facere.

Et anno dein 1772, celeberrimus *Joſ. Prieſtly* multa ingenioſa experimenta de aëre, in *vol.* 62 *of Philoſophical Tranſactions*, publici juris fecit; et ingenioſus amicus ſuus *Gul. Hey*, de urbe Leeds, addidit hiſtoriam hominis febre putridâ laborantis, qui aëre a ſalibus alcalinis ſeparato, et ex inferioribus partibus infuſo, ſanitati fuit reſtitutus.

†Cel. *Hoffmannus* ſummis laudibus vini atque acidorum uſum, in his febribus, celebrat; dicit enim: ‘Inter ‘præſidia porro, quæ ad declinandos hos morbos valent, ‘ego quidem præſtabilius novi nullum, convenienti et ‘moderato vini optimæ notæ, et quidem Rhenani, uſu.’ —‘Quin in petechiis quoque, vinum poſtremis diebus, ‘factâ criſi, modo potum, vires dejectas erigendo et ‘cuticularem excretionem ſecundando, omnia fere alia ‘auxilia ſuperare aſſevero.

‘Ipſâ autem in curatione ex omnibus remediis, ſtatim ‘in principio, optimam opem conferunt acida, maximeque ‘ſuccus citri, ptiſanæ potandæ ad extinguendum calo‘rem, et arcendam putredinem inſitus; item acetum vini, ‘ſive ſimplex, ſive deſtillatum, mixturis ex aquis, et ‘pulveribus fixioribus diaphoriticis nuptum.’—‘Ego ‘novi

tus horæi aciduli, quales ſunt fraga, ceraſa, uvæ, pyra, aurantia, et alia hujuſmodi, optima plerumque ſunt remedia antiſceptica; et os atque linguam refrigerando, ægroto jucundiſſima fiunt.

In amplo, mundo, et bene perflato cubiculo tenendus æger, quò multum atque purum aërem trahere poſſit; levibus tantum veſtimentis velandus eſt; et dejectiones alvinæ, et putida omnia alia e cubiculo quam citiſſimè amovenda ſunt.

Multum inter ſe diſſenſierunt medici de modo tractandi febres petechiales putridas; alii enim methodum ſumme antiphlogiſticam laudaverunt; dum calidiſſimam conſecuti ſunt alii. Multiplici vero experientiâ edoctus, mediâ viâ inſiſtendum cenſeo.

Et cum febres illæ aliquando plus, aliquando minus malignæ ſint, et temperies et habitus hominum valde diverſi, ita caſus uniuſcujuſque ægroti aliquid in methodo medendi ſibi ipſi proprium poſtulat; et nulla methodus invariabilis figi, vel ſtabiliri, poteſt.

Sed plerumque quo recentior morbus, quo pulſus durior atque fortior, quo ſanguis mi-

'novi practicum quendam, non infelicem, in more habuiſſe, in principio catarrhalium et malignarum petechialium ſimul ac languor et ardor corpus infeſtavit, ſerum ex lacte cum ſucco citri factum largiter, ſed per vices potui dare, tam felici effectu ut poſt aliquot dies ardor, dolor, languor, et gravedo diſparuerit.' Vide *Hoffman. oper. Tom* 2. *ſect.* 1. *cap.* xi. *pag.* 87, &c.

nus diſſolutus, quo vires majores, eo methodus medendi magis refrigerans eſſe debet.— Quo vero malignior febris, quo diutius continuaverit, quo ſanguinis craſis magis ſoluta, eo minus jacturam ſanguinis, et alias evacuationes fert; et eo magis acida, vinum, cortex Peruvianus, et medicamenta cardiaca, neceſſaria ſunt.

Et obſervare liceat, febres hujuſmodi plerumque benigniores fieri, ſi ſtatim in principio ventriculus et inteſtina optime expurgata fuerint; et celeberrimi viri *Riverius Hoffmannus*, aliique, obſervarunt febrem hanc, præſertim ſi a contagio accidit, ſæpe in principio opprimi poſſe et jugulari, exhibendo ſtatim in initio medicamentum lene emeticum, et dein ſudorem promovendo; et hiſtorias plurimas hujuſmodi in operibus ſuis enarrarunt. *.

4. *De anginâ putridâ ulceroſâ.*

Quoniam febrium putridarum petechialium mentionem feci, de anginâ putridâ

* Inutile eſt ulterius de hoc morbo vel de ſymptomatibus exinde ſequentibus, in præſenti diſſerere, cum jam fuſe de iis dictum ſit in hiſtoria noſtrâ morborum qui magis frequentes fuere in Noſocomiis militaribus, annis 1760-1-2-3, Germaniæ, dicta, *An account of the diſeaſes which were moſt frequent in the Britiſh military hoſpitals in Germany.*

ulceroſâ,

ulceroſâ,* quæ in naturâ ſuâ huic morbo ſimillima eſt, & quæ eandem fere medendi methodum poſtulat, pauca obſervare liceat.

Incipit ab horrore & frigore, & dein calor ingens, pulſus acceleratus, dolor capitis atque faucium, nauſea, & alia febris ſymptomata, ſequuntur.

Vomitus ſæpe et diarrhœa die primâ aggrediuntur, quæ ſecundâ ceſſant.

Febris veſpere exacerbatur, quo tempore, non raro ſupervenit delirium, quod mane cum ſudore decedit; et die ſecundâ, tertiâ, vel quintâ, nunc citius, nunc ſerius cutis faciei, colli, pectoris, *&c.* rubore quodam, vel potius efflorescentiis petechialibus obtegitur.

* Morbus hic jam olim ab Hippocrate, (vide *de Dentitione, ſect.* 3.) memorari; & ab Aretæo (*vide de cauſis et ſignis acutorum morborum, lib.* I. *cap.* 9.) & ab Aetio Amideno (*vide Tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 49.) deſcribi videtur; & varia nomina illi ab auctoribus indita ſunt---a quibuſdam *ulcera Ægyptiaca, vel Syriaca,* dicitur,---ab aliis *cruſtoſa & peſtifera tonſillarum ulcera,*—a quibuſdam *angina peſtilens, & ſuffocatoria, vel ſtrangulatoria*;—ab aliis, *angina puerorum epidemica*—a medicis Hiſpanicis, *Garrotillo,* &c.

Angina hæc maligna ulceroſa licet a multis auctoribus exteris deſcripta fuerit, attamen in hâc noſtrâ inſulâ, vel incognita, vel neglecta, & pro alio morbo, habita fuit; donec circa annum 1739, magnâ violentiâ ſævire incepit; et ingenioſi viri *Joan. Fothergill,* et *Joan. Huxham,* aliique, accuratam hiſtoriam hujus morbi, multaque utilia de ejus naturâ, atque curatione, conſcripſerunt.

Glandulæ parotides, atque maxillares, et cervix parteſque circa fauces tumidæ ſæpe et rigidæ fiunt.

Pulſus celer atque plerumque debilis, et ſanguis miſſus floridus et ſolutus eſt; aliquando vero, licet rarius, pulſus in initio ſit fortis ac robuſtus, et ſanguis ſpiſſus, atque inflammatorius.

Urina primo tenuis et cruda eſt; dein turbida, et ad criſin morbi ſedimentum farinaceum deponit.

Increſcit febris ad diem uſque tertiam, quartam, vel quintam, et aliquando ad ſeptimam; et dein ſpes ſalutis elucēre incipit; ſi vero morbus vehemens fuerit, raro ante diem undecimam perfecte judicatur.

Die primâ tonſillæ, uva, velum pendulum palati, parteſque circumpoſitæ intenſe rubent, atque dolent, tonſillæ atque uva admodum tumidæ fiunt, dieque primâ vel ſecundâ maculæ albæ ſuper eas, et ſuper alias partes inflammatas apparere incipiunt; quæ in cruſtas albas gangrænoſas, ulcera putrida tegentes, degenerant.

Ex ulceribus humor acris, malique odoris eſt, & caro intus corrupta; et hinc fætor oris cadaveroſus, et halitus contagioſi, et fluxiones humorum acrium, partes vicinas erodentium.——Et obſervatu dignum eſt, ægrotos minori incommodo aërem reſpirare, et cibum deglutire, quam ex ſymptomatibus quis facile credere potuit.

Ubi

Ubi lenis morbus, ſymptomata febrilia levia ſunt, et tonſillæ atque partes vicinæ leviter tantum exulcerantur; et intra paucos dies, ex toto ſequitur integritas.

Ubi vero morbus vehemens, æger calore urente, anxietate, difficultate reſpirandi, virium proſtratione, et aliquando animi defectionibus ſæpe recurrentibus, ſanguinis ſtillicidio ex naribus aut ex ore, atque ſingultu vexatur; et tota interdum gula ulceribus obtegitur; et in infantibus, atque pueris ſæpe etiam nares internæ et inflammantur et exulcerantur.

Totas aliquando tonſillas, palati partem poſteriorem, uvam, velum pendulum palati, et partes cæteras faucium, quantum videre licuit, cruſtis gangrænoſis, atque ulceribus obductas vidi.—Et ex inſpectione cadaverum eorum, qui hoc morbo defuncti fuere, apparet totum æſophagum ad ventriculum uſque, et totam tracheam arteriam internam ulceribus aliquando opertam fuiſſe. *

Cruſtæ illæ albæ non componuntur ex liquoribus extravaſatis, ſuper membranas inſpiſſatis, ſed ſinceræ ſunt carnis emortuæ partes; ſi enim decidant vel manu chirurgicâ

* Et ex inſpectione cadaverum apparet ventriculum etiam atque inteſtina hoc morbo aliquando affecta fuiſſe. Vide in *Philoſ. Tranſact. vol.* xlix, *art.* 15, *hiſtoriam hujus morbi, a cel. Le Cat, & Lieutaud, precis de la medecine, edit.* 2. *p.* 518.

gicâ ſeparentur, cavum ulceroſum in carne relinquunt, molem ſuam magnitudine æquans; et ægroti, ex gutteribus quorum cruſtæ magnæ denſæque ſeparatæ ſunt, per longum tempus voce raucâ atque clangoſâ loquuntur, ac ſi palatum lue venereâ eroſum fuerat.

Angina hæc maligna omni tempore anni ſeſe monſtrat, præcipue vero autumno, atque hiemis initio; et ex hiſtoriâ medicâ apparet, eam quibuſdam in annis quam malignam et mortiferam; in aliis vero quam mitem fuiſſe.

Nemini mortalium parcit, infantes vero atque juvenes ſæpius et gravius quam adultos, tenellos quam robuſtos occupat.——Et infantes plures, adulti quam pauci malo victi ſunt.

Hic morbus febrem ex putrido petechiali genere ſibi ſemper conjunctam habet, quæ iiſdem ſymptomatibus ſtipatur, atque eandem medendi methodum poſtulat, ac febris aliæ petechiales.

Medici de modo eam curandi diſſenſierunt; et alii methodum ſumme antiphlogiſticam laudaverunt.—Alii vero venæſectionem, alvi purgationem, et omnia remedia antiphlogiſtica, uti quam noxia reprobaverunt; et ſolam confectionem cardiacam, vel alia calidiſſima medicamenta propinanda eſſe ſuaſerunt.

Cum vero hic morbus, ut febris petechialis, nunc plus, nunc minus malignus obſervetur,

vetur, ita curatio, præcipue in primo morbi gradu, diverſa eſt inſtituenda, pro diverſâ morbi indole.

Et in hoc, ut in febri petechiali, ſi ægrotus robuſtus, et pulſus fortis atque durus in initio fuerit, vel reſpiratio difficilis, modica ſanguinis quantitas e venâ cum ſummo ægri commodo mitti poteſt; et paucis abhinc annis, unum aut alterum caſum vidi, ubi ſymptomata inflammatoria ita urgebant, ut hanc evacuationem repetere neceſſe fuit; ſed caſus hujuſmodi rariſſime occurrunt.

Si alvus ſtricta, leni medicamento laxativo ducenda eſt; et dein in morbi curſu, ſi diarrhœa non ſupervenerit, alvus clyſteri ope quotidie, vel omni nocte ſecundâ ſolvenda; hâc enim methodo calorem febrilem minutum, et alia ſymptomata febrilia mitiora reddita, ſæpe obſervari.

Si, ex primo morbi aſſultu, pulſus celer et debilis fuerit, et æger nauſeâ atque diarrhœa, primâ, vel ſecundâ die, vexetur; tunc venæſectio omittenda, et vomitus leni medicamento emetico eliciendus, ut pituita et humores alii acres e ventriculo evacuentur; vires refocillandæ medicamentis cardiacis, potus tenuis copioſus adhibendus; et inteſtina craſſa clyſmatibus emollientibus anodynis colluenda ſunt.

Et ſi ægrotus torminibus vexetur, et vires integræ, et diarrhœa vehemens non fuerit, con-

convenit aliquando inteſtina expurgare medicamentorum ope, quæ alvum leniter movent; et dein opiatum aliquod adhibere, ad turbas a purgatione excitatas compeſcendas.

Medici quidam, ut mihi videtur, qui de hoc morbo ſcripſerunt, uſum medicamentorum alvum ducentium nimis in initio, ubi alvus laxa eſt, pertimeſcerunt. Diarrhœa enim plerumque procedit, ex humoribus putridis bilioſis in inteſtinis congeſtis, et ceſſat, et ſymptomata febrilia mitiora fiunt, quam primum ac humores illi acres e corpore expelluntur.

Quomodo cunque vero morbus inceperit, quando ventriculus atque inteſtina humoribus acribus expurgantur, et nauſea atque vomitus jam ceſſarint, et pulſus mollis fuerit, et cruſtæ atque ulcera jam in gutture inceperint cortex Peruvianus* libera manu adhibendus eſt. Multâ enim experientiâ edoctus, cum Domino WALL, medico expertiſſimo cenſeo, corticem Peruvianum palmarium in hâc febre remedium eſſe; cui plerumque medicamenta cardiaca, et acida mi-

* Cortex Peruvianus, lacte atque ſaccharo miſtus, pueris ſæpe magis arridet, quam cortex aliâ quâcunque formâ paratus.---Et convenit interdum drachmas duas vel tres pulveris hujus corticis, in clyſmate anodyna, ex inferioribus partibus infundere, quintâ vel ſextâ quâque horâ, infantibus atque pueris junioribus, qui hoc medicamentum haurire averſantur; et etiam adultis, qui ob tumorem gutturis corticem facile deglutire non poſſunt.

neralia

neralia probe diluta adjungere convenit; et ſi alvus nimis laxa, vel diarrhœa vires exhauriat, utile eſt guttulas aliquot tincturæ Thebaicæ, vel medicamenta leniter aſtringentia omni corticis Peruviani doſi addere.

Si vero cortex Peruvianus ægroti ventriculo minus arrideat, ejus loco remedia, plus minus, cardiaca adhibenda ſunt.

Ubi pulſus debilis eſt, et æger languidus, vel lypothymiis ſæpe recurrentibus aggreditur, emplaſtra veſicatoria cervicibus aut brachiis applicata multum aliquando proſunt; ſi vero applicentur dum vires adhuc integræ, calor ingens, et pulſus arteriarum celer atque fortis fuerit, ſymptomata febrilia augere potius quam levare ſæpe obſervantur.

In hâc, ut in febri petechiali, quo vires majores, quo ſanguis minus ſolutus, eo medendi methodus magis refrigerans eſſe debet. —Quo vero vires magis fractæ, et quo ſanguis magis ſolutus, eo magis acida, vinum, cortex Peruvianus, et medicamenta cardiaca, utilia ſunt.

Per totum morbi decurſum, aër purus, et ſæpe renovatus; cibus vegetabilis humidus, fructus horæi, et potus accidulus, ægrotis aptiſſimi ſunt.

Quo tempore, cruſtæ albæ, et ulcera, in gutture apparēre incipiunt, commodum eſt liquores detergentes frequenter gargarizare, ad ſaniem et materiem putridam eluendam; humores enim illi acres, niſi eluantur, par-

tes vicinas irritant, atque erodunt; et deglutiti nauſeam ſæpe et interdum diarrhœam incitant; vel in ſanguinem reſorpti febrem augent; hinc frequens partes ulceratas colluendi neceſſitas, præcipue, antea quam ægrotus potum vel cibum aſſumpſerit.

Et expedit ſæpe, ſyringis ope, liquores detergentes in os, atque in fauces injicere, ubi ægrotus infans, vel ex vehementiâ morbi, vel ex aliâ quâcunque cauſâ liquores gargarizare facile non poteſt.

Ubi materies ulcerum ſanioſa, et quam putrida eſt, convenit cruſtas, atque ulcera, penicilli ope, leviter linire melle roſaceo, acidulato cum ſpiritus ſalis marini quantitate ſufficiente, cui ſexta pars Tincturæ myrrhæ adjecta eſt.

Et obſervare eſt, quod plerumque noceat cruſtas albas digitis, vel inſtrumento avellere; avulſæ enim cito renaſcuntur et ulcera magis in profundum procedunt; ſibi ipſis vero relictæ, decidunt plerumque cum febris jam levata eſt; et ulcera dein cito ſanantur.

Hæc de inflamatione Cerebri acutâ et putridâ, et de Anginâ putridâ ulceroſâ dicenda habui, et nunc pauca de Hemicraniâ, & de aliis quibuſdam capitis doloribus, dicere propoſitum eſt.

5. *De Hemicrania.*

Dolor capitis periodicus, vel qui per certa intervalla deſinit atque recurrit, ſæpe in his regionibus obſervatur; et plerumque unum tantum capitis latus occupat, quando Hemicrania vocatur.

Sub finem anni 1772, frequens per populum graſſabatur, et periodice rediebat, vel quotidie, vel tertiâ quâque die, pulſu accelerato concomitatus; circa tempora dolor plerumque acutiſſimus erat; et oculus lateris affecti, durante paroxyſmo, rubore quodam ſæpe tingebatur; et lachrymæ ex oculo præ dolore proſiliebant. Paroxyſmus per quatuor vel ſex, et interdum per horas duodecem durabat.

Hic morbus e claſſe intermittentium fuit, et iiſdem remediis ac febres intermittentes plerumque ſanabatur.

In initio ubi ægrotus plethoricus erat, vel dolor peracutus, venam ſemel, et aliquando bis tundere, et alvum libere ducere profuit; et quando morbus jam formam intermittentis induerat, cortex Peruvianus multos, ſine ullis aliis remediis, ſanitati reſtituit.

Eadem vero medendi methodus non æque omnibus opitulabatur, neque ſemper Peruviani corticis ope profligari potuit; præcipue ubi formam veri intermittentis nondum in-

duerat; et igitur vel alia remedia cortici adjungere, vel aliorum periculum facere neceſſe fuit.

Cum cortex Peruvianus per ſe minus votis reſponderet, adjunctâ parte æquali radicis valerianæ ſylveſtris res ſæpe bene agebantur, quibus, pauxillum ſalis volatilis cornu cervi omni doſi additum, virtutes medicamenti febrifugas augere videbatur.

Medicus paucis abhinc annis mortuus, JOANNES FORDYCE, qui ipſe per quadriennium hoc morbo laboraverat, in Diſſertatione de Hemicraniâ narrat, ſe a radice valerianæ ſylveſtris, ad drachmam unam ter quaterve de die ſumptam, ſanitati reſtitutum fuiſſe.

In hoc morbo vomitoria medicamenta ſumpta, ſtatim antea quam paroxyſmus expectatus fuerat, multis profuiſſe vidi; imprimis, quibus vel ventriculus cruditatibus ſcatebat, vel morbus intermittentis typum induerat; et Pater* meus narrat (in ſexto tomo obſervationum medicarum Edinburgenſium,) ſe anno 1739, dolore periodico hujuſmodi per dies decem laboraverat; et emetici ope quod et vomitum ciebat, et alvum libere ducebat a morbo liberatum fuiſſe; et ſe exinde multos alios ſanitati reſtituiſſe, emeticum primo, et dein medicamentum fortiter purgans adhibendo, ſtatim ante tempus quo paroxyſmus ægrotum aggredi expectaretur.

* *Alexander Monro*, M. D. Edinburgi Anatomiæ Profeſſor, qui anno 1766 diem ſupremam obiit.

Poſt

Poſt venæſectionem et alvi purgationem emplaſtra veſicatoria multis profuere, et aliquando ubi dolor peracutus erat anodyna et opiata dolorem leniebant, et morbum mitiorem reddere videbantur.

6. *De Dolore Capitis.*

DOLORES capitis qui vel continui ſunt, vel ſubinde, ſed non periodice recurrunt, ab obſtructionibus, a ſcorbuto, a lue venereâ, ab excreſſentiis oſſeis calvariæ, et a multis aliis cauſis oriuntur; de quibus multa et egregia tum antiqui tum recentiores ſcriptis mandarunt; et cum tempus non ſufficiat de iis ſpeciatim diſſerere finem nunc dicendi faciam, enarrando hiſtorias duas, notatu dignas, ægrotorum capitis dolore laborantium, quorum unus emplaſtro veſicatorio, alter ſpiritu cornu cervi capiti applicato, ſanatus fuit.

Caſus primus. Anno 1758, filia (Ann Shadow) viginti annos nata, obſtructione menſium, et dein ulcere cruris dextri, laboravit— ſub finem Februarii, anni ſequentis, cum ulcus cruris ſanatum jam fuerat, dolore continuo capitis excruciebatur.—Et die ſexto Junii, in Noſocomium Sancti *Georgii* admiſſa eſt. Eo tempore, dolor capitis continuus et acutiſſimus erat, et adeo emaciata fuit, ut oſſium extrema ubique prominerent, et tantum cute obducta viderentur; atque ita debilis

bilis, ut neque ſtare, neque pondus proprii capitis ſine fulcri ope ſuſtinere potuit.—Mihi narravit ſánguinem, jam ter e venis ſuis detractum fuiſſe; et ſe multa varia medicamenta cepiſſe, et inter alia magnam quantitatem pulveris illius emperici *a Doctore JAMES præparati,

* Pulvis hic (James's Powder vulgo dictus), ſic præparatur, ſecundum teſtimonium ipſius Doctoris *Roberti James*, in annalibus curiæ cancellariæ relatum, & jurejurando quam ſacro a ſe ipſo confirmatum.

Receipt of James's Powder, as extracted from the Rolls of the Court of *Chancery*.

'Take antimony, calcine it with a continual protracted heat in a flat unglazed earthen veſſel; adding to it, 'from time to time, a ſufficient quantity of any animal 'oil and ſalt well dephlegmated, then boil it in melted 'nitre for a conſiderable time, and ſeparate the powder 'from the nitre, by diſſolving it in water. Then take 'quick-ſilver, make an amalgama, with equal parts of 'the martial regulus of antimony and pure ſilver, adding a proportionable quantity of ſal-ammoniac; diſtil off the mercury by a retort into a glaſs receiver; 'then, with this quick-ſilver, make a freſh amalgama, 'with the ſame ingredients; diſtil again, and repeat 'this operation nine or ten times; then diſſolve this 'mercury in ſpirits of nitre, and put it into a glaſs retort and diſtill to dryneſs; calcine the *caput mortuum*, 'till it becomes of a gold colour; burn ſpirits of wine 'upon it, and keep it for uſe.

'The doſe of theſe medicines is uncertain; but in 'general, thirty grains of the antimonial powder, and 'one grain of the mercurial, is a moderate doſe;" ſigned and ſworn to by Rt. JAMES.

i. e. Recipe antimonii crudi quantum vis, calcina in vaſe figulino non vitriato, addendo paulatim quantitatem ſufficientem olei et ſalis cujuſdam animalis, donec antimonium quam album fiat; & dein coque cum nitro per

præparati; ſed omnia incaſſum et ſine ullo doloris levamine. — Lingua erat alba, et pulſus

per tempus ſatis longum, & miſce cum aquæ q. s. ut ſolvatur nitrum; & ſepara pulverem, filtrando liquorem per chartam bibulam, & ſerva pro uſu.—Hoc facto; recipe argenti vivi optimi purificati, diſtillando decies ex amalgamate facto cum reguli martiati antimonii et argenti, p. æ. & q. ſ. ſalis ammoniaci; ſolve in ſpirit. nitri, q. s. & evapora ad ſiccitatem; & calcina donec fiat coloris aurei, et deflagra inſuper ſp. vin. q. s.

Miſce gr. xxx, pulveris antimonialis, cum gr. i pulveris mercurialis pro doſi.

Quid de virtutibus pulveris hujus dicendum eſt? repetitâ experientiâ edoctus, ſic de eo cenſeo. Veluti tartarum emeticum, Kermes mineralis, aliæque multæ antimonii præparationes, pulvis hic magna doſi adhibitus, alvum fortiter purgat, vomitum ciat, & aliquando etiam ſudorem movet; parvâ doſi perſpirationem promovet, nauſeamque etiam interdum incitat, vel alvum ducit, præſertim ſi in ventriculo acida ſaburra, vel in inteſtinis humorum congeries recondatur.

Aliquando repetitus uſus hujus pulveris ſalivationem concitat.

In febribus ubi vires adhuc integræ ventriculuſque ac inteſtina bile, vel corruptis humoribus replentur, prodeſt ſæpe Jacobi pulvis, humores illos acres evacuando, atque ſecretiones promovendo, ſed certe medicamentum melius non eſt ad hoc opus peragendum, quam tartarum emeticum, aliaque medicamenta a medicis quotidie adhibita; nullam enim vim ſpecificam ad febres profligandas poſſidet; nec ipſe Doctor *James* in illo, ſed in pulvere corticis Peruviani ad febres fugandas confidet; qui certe cortex, juſte magis pulvis febrifugus Doctoris *James* dici debet, quam pulvis antimonialis, *James's Powder* dictus,—Sequenti enim modo pulveres ſuos, corticemque peruvianum in febribus plerumque adminiſtrat, ut ipſe vidi, ac ut a medicis aliis, & pharmacopolis qui ſæpe in conſultatione cum illo adfuere, didici:

1mo.

pulſus parvus et debilis, atque centies, et quater intra temporis minuti ſpatium pulſabat.

1mo. Si ventriculus, inteſtinaque evacuata fuerint antea quam Doctor *James*, ad ægrum viſitandum advenerit, pulverem, quem mitem dicit, adhibet; quid vero ſit pulvis hic mitis, an Calx antimonii, an pulvis e chelis cancrorum, an quid aliud dicere non audeo; pulvis vero, nomine *James* inſignitus, ſummendus eſt; ut ſi ad bonam valetudinem recurſus ſit, dici poſſit, ægrum a pulvere *James* ſanatum fuiſſe.

2do. Si ægroti alvus non purgata fuerit ante Doctoris *James* adventum, pulverem ſuum larga doſi adhibet, ad alvum purgandam; et forte etiam ad vomitum et ſudorem eliciendum; ſi vero exinde non laxetur alvus, doſi ſalis cujuſdam purgantis alvus eſt ducenda; ſtatimque ac hoc ſit, pulverem corticis Peruviani largis et repetitis doſibus ab ægro ſumendum, ab febrem arcendam, præcipit; *Robertus* enim *James* in eâ eſt ſententiâ, febres omnes ex intermittente genere eſſe; et poſt ventriculum alvumque purgatam, omnes fere febres quæ ſanari poſſunt, cortice Peruviano ſanandas eſſe.—Pulverem ſuum mercurio antimonialem auro, ad primas vias evacuandas, vendit; corticem vero Peruvianum ad febres fugandas adhibet.

De pulvere *Jacobi* hoc ulterius monendum habeo, quod licet quibuſdam caſibus proficiat, in aliis tamen noceat; et caſus multi numerari potuerunt, ubi ægroti febribus putridis, & anginis malignis ulceroſis, aliiſque febribus laborantes adeo ab alvi purgatione, cæteriſque evacuationibus hoc pulvere excitatis debilitati, ut natura morbo ſuccubuerit, ægrotique cito vitam cum morte commutaverint. Caute igitur adhiberi debent medicamenta antimonialia quæ ſecretiones potenter movent, præcipue in febribus putridis; et in fine febrium fere omnium ubi vires jam morbo fractæ ſunt.

A multis dicitur, pulverem ſolummodo antimonialem omiſſo medicamento mercuriali, pro pulvere *James* nunc vendi; duabus vero abhinc annis, virgo quædam generoſa, 14 annos nata, paucas doſes pulveris hujus a bibliopela *Newberry* empti ſumſit; et glandulæ ſalivales eodem

bat.——Datis quibuſdam remediis refrigerantibus, et laxatâ alvo leni medicamento purgante, emplaſtrum veſicatorium toto capiti applicandum juſſi, ut cutem exulceraret, et dein unguenti epiſpatici ope fonticulum faceret,--ſimul ac cutis in veſiculas elevata fuit, levamen doloris ſenſit; die ſequenti dolor multum minuebatur, et intra dies quindecem omnino evanuit; et brevi tempore filia ſanitati fuit reſtituta.

Caſus 2dus. Anno 1769, vir quidam viginti quatuor annos natus, cum menſes jam octo matrimonio feminæ conjunctus eſſet, multum de dolore capitis, præcipue nocte conquerebatur; veritus ne a reliquiis luis venereæ, quâ ante matrimonium laboraverat, originem duceret, meum conſilium petivit; cum vero nulla alia ſymptomata luis venereæ apparerent, et conjunx bene ſe haberet, ſanguinem mitti et alvum purgari ſuaſi; et dein ſi dolor non exinde levaretur, emplaſtrum veſicatorium ſummo capiti applicandum juſſi.

Hoc vero conſilium minime ſequutus eſt, et pharmacopola mihi narravit, quod, licet

dem modo affectæ fuere, ac ſi mercurium ſumpſerat; et ptyaliſmus per dies plures duravit.

In formulâ hujus pulveris ex annalibus curiæ cancellariæ excerptâ, dicitur, grana circiter xxx vel xxxi exhibi poſſe pro doſi; hoc tamen obſervatu dignum eſt, grana v. nauſeam ſæpe incitare vel alvum ducere, et grana xx et vomitum plerumque fortiter movere et alvum purgare.

conſilium petere delectaret, nullum tamen ſequi vellet. Plura alia facienda ſuaſi, ſed incaſſum; nullum enim medicamentum ſumptum erat, et tandem omne conſilium medicum renuebat.—Per plures ſeptimanas acutiſſimo dolore capitis excruciebatur, donec tandem amicus quidam illi ſuaſit, ut caput tondendum curaret; et dein linteis ſpiritu cornu cervi madidis totum ſummum capitis bis terve in die perfricaret; intra dies paucas convaluit, nec dolor rediit unquam.

Hæc ſunt, ſocii ornatiſſimi, quæ vobis in præſenti dicenda habui, et verecundia jam monet ut finem orandi faciam, in publica enim commoda peccam, ſi veſtra tempora, qui ſaluti civium invigilatis, longo ſermone morer.

PRÆLECTIONES MEDICÆ

IN

THEATRO COLLEGII REGII MEDICORUM

LONDINENSIUM,

HABITÆ, A. D. 1775.

Die 22dâ, 23tiâ, et 24tâ Auguſti.

DE MOTU MUSCULARI.

MUSCULI ſunt inſtrumenta motus in corpore animali; et conſtant præcipue ex fibris carneis, et tendineis, telâ cellulosâ undique cinctis.

Fibra minima nudo oculo viſibilis, microſcopio luſtrata, ex innumeris aliis fibris minoribus conſtare videtur; et fabrica ejus ſimilis ſemper eſt, majorum fibrarum fabricæ; compoſita nempe ex fibris minoribus telâ celluloſâ conjunctis.

In telâ celluloſâ, muſculis circumpoſitâ arteriæ, venæ, vaſa lymphatica, nervique numeroſi decurrunt; et in eam arteriæ effundunt copioſum vaporem tenuem, atque pinguem, ad fibras muſculares humectandas et lubricandas, et ad aptitudinem earum ad motum conſervandam; quæ fluida a numeroſis vaſis lymphaticis denique in ſanguinem reducuntur.

Arteriæ ramos ubique muſculis adeo numeroſos edunt, ut ſi pars aliqua in cadavere liquore quodam tenui colorato repleatur, muſculi illius partis toti ex vaſis componi videntur; et phyſiologici quidam exinde crediderunt, fibras muſculares totas ex iis conflari; ſed dubitatur an liquor coloratus injectus,

jectus, ſolum in telam celluloſam, an in fibras ipſas penetraverit.

Nervi quoque ſuos ramulos ubique muſculis diſtribuunt; qui, depoſito duriori involucro, molliores in muſculis prius evaneſcunt, quam ad ſuos ultimos fines proſequi poſſint.

Muſculi alii oſſibus, alii cartilaginibus, alii perioſteo adfiguntur; alii vero aliis fibris muſcularibus, vel telâ celluloſâ cæteris partibus corporis conjunguntur.

Fibræ muſculorum, oſſibus adnatorum, non ſunt ejuſdem naturæ per totum ſuum decurſum; in medio enim molles, craſſæ atque carnoſæ ſunt; ſed ad finem in minorem molem contrahuntur, et in tendineam naturam indureſcunt; et fibræ carneæ aliquando cum parte tendineâ quaſi continuantur; aliquando vero oblique ad tendinem inclinant, et oblique illi inſeruntur, et muſculum pennatum formant.—Et muſculi quamplurimi vaginis tendineis includuntur, et tendines eorum propriis thecis recipiuntur, quæ eos, dum agunt, firmant, ne ab ſuis locis aberrare poſſint.

Muſculi omnes, in ſtatu ſano vim irritabilem poſſident, præter ſenſationem quam a nervis habent, et ſemper ſe contrahere, vel breviores ſe reddere nituntur; hoc monſtrant ſphincteres, et muſculi quorum antagoniſtæ reſecantur; et hæc vis contractilis in muſculis etiam poſt mortem inſidet; in cadavere

enim

enim recenti, ſi reſecatus fuerit muſculus, fibræ ſe contrahunt, et retractæ intervallum relinquunt.

Muſculus omnis, dum agit, in undulatas rugas contrahitur; et durior, brevior, craſſiorque fit; non vero, experimentis ab anatomicis factis, mole ſuâ augeri videtur.

Muſculus omnis, irritatus vel a cultro anatomico, vel ab igne, vel a materie aliquâ ſtimulante conſtringitur, palpitat, alterne agit, et remittitur; et hæc vis irritabilis in muſculis aliis fortior, in aliis debilior eſt; et per tempus aliquod poſt mortem in muſculis adhuc reſidet.

Cor atque inteſtina naturam irritabilem, majorem aliis corporis partibus poſſident; et eam diutius a morte retinent, vehementioremque exercent; et avulſis de corpore, nerviſque remotis, vim irritabilem parum perdidiſſe videntur.

Muſculi quidam, per totum vitæ decurſum, motus ſuos continuant et exercent, ſine ullo mentis imperio; dum alii, ad animi ſolum imperium, agunt; horum motus involuntarii, illorum voluntarii nominantur.

Varias hypotheſes formarunt phyſiologici, de modo quo motus muſcularis perficitur.

Boerhaavius excogitavit, fibras muſculares fines eſſe ultimos nervorum, involucris orbatos, et fluido nerveo, motus animalis cauſa, repletos; ſed improbabile omnino videtur,

videtur, tot & tam magnos muſculos ex paucis tenuiſſimis nervorum fibrillis eſſe factos.

Alii voluerunt fibras muſculares cavas eſſe tubas, fines ultimos vaſorum ſanguineorum; et ſanguinem ipſum cauſam eſſe motus animalis. Sanguis equidem muſculos nutrit, et humores ſuppeditat, quibus motui idonei conſervantur; ſed hæc certe motûs cauſa non eſt; æquabiliter enim et continuo ſanguis per vaſa fluit, nullo mentis imperio coercendus; et ligatâ arteriâ, quæ ſola partem adit, motus in illâ parte non ceſſat, niſi poſt tempus ſatis longum; cum muſculi jam gangrænâ deſtructi, vel jam contabefacti ex nutritionis defectu, fuerint.

Alii ſibi finxerunt fibras longitudinales muſculares eſſe cavas, ſed non a vaſis ſanguineis continuatas; et fibras illas, ad certas diſtantias, conjunctas eſſe a fibris aliis tranſverſis, propaginibus nervorum, quæ fibras longitudinales conſtringere, et in veſiculas derimere potuerunt.

Dum alii crediderunt fibram ultimam muſcularem, catenulam veſicularum eſſe.

Et quocunque modo Phyſiologici fibras cavas eſſe ſuppoſuerunt, ſibi ipſis imaginati ſunt, eas in motum incitari ab influxu vel fluidi nervei, vel aëris, vel auræ electricæ, vel alii cujuſdam fluidi;—ſtructura vero tubulata vel veſicularis, muſculis adſcripta, nullis certis experimentis, vel obſervationibus anatomicis

anatomicis confirmatur; et igitur theoria omnis de motu muſculari, quæ hâc baſi nititur, pro fictâ et fallaci habenda eſt.

Et quidem de cauſâ motus muſculorum nihil certum cognitum eſt; niſi quod ea, quæcunque ſit, in nervis latere videatur; nervus enim ſolus ſentit, ſolus animi voluntatem obſequitur; et nervo irritato muſculi, qui ramos ab eo habent, convelluntur;—et reſecto nervo, perit ſtatim motus in partibus inferioribus; licet, ſi illico ab ipſâ ſectione irritetur nervus, muſculus, ad quem adit, contrahitur; ſed brevi tempore languet reſolutus, et nulla modo ad motum, vitali ſimilem, iterum revocari poteſt.

Ex dictis igitur, et ex iis quæ jam dicta fuerunt quando de cerebro diſſerui, apparet, cauſam omnis motûs muſcularis in nervis reſidēre.

Quæcunque vero ea ſit cauſa, celeritate, quæ vix animo concipi poteſt, motus peragitur; quam parvum enim debet eſſe tempuſculum, quo muſicus expertus muſculos digitorum, vel orator muſculos linguæ movet?

Ex celeritate quâ muſculi agunt, videtur, hanc qualemcunque motûs cauſam, ex cerebro in nervos diſtributam, in nervis ſemper latere; eoſque illâ ſemper plenos turgidoſque eſſe; ita ut illo temporis momento quo finis ultimus nervi irritatur, aut ſtimulatur, eo ipſo impreſſio fit in cerebrum; et quando-

cunque mens voluit ſpiritus in muſculos deferri ſtatim deferuntur.

Quæri nunc poteſt, quomodo muſculi motibus involuntariis dicati perpetuo ſine ullo mentis imperio agere perſeverant, dum vita durat? et quomodo anima tam exacte ſua imperia in quamlibet fibram aut muſculum, ubi numerus quaſi incredibilis exiſtit motibus voluntariis deſignatus, exercēre queat?

Magnus Opifex muſculos, motibus vitæ omnino neceſſariis dicatos, ex valde irritabili naturâ fecit, et iis ſtimulum perpetuo applicavit.—Cordi atque vaſis ſanguinem pro ſtimulo dedit.—Inteſtinis alimentum, et humores diverſos in eorum cava effuſos.—Et aërem ſemel inſpiratum pulmonibus; ita ut muſculi illarum partium, perpetuo dum vita durat, ſine ullo mentis imperio agunt; nec eorum motus a voluntate coercendus eſt; Creator enim optimus non voluit motus vitæ abſolute neceſſarios ſub voluntatis imperio eſſe; ne vitæ debito citius finis poneretur.

An aliquid his motibus, involuntariis dictis, thoracis nempe, cordis et inteſtinorum confert curſus nervorum, iis organis diſtributorum, prope magnas arterias et earum pulſationibus ſubjectorum? Nervi quidem alii, ſimili modo cum arteriis diſtribuuntur; ſed hi nervi hunc curſum, plus aliis, affectant.

Uſus aliorum muſculorum, qui ad imperia

ria mentis utcunque agere videntur, ſed quorum motus ab initio ad vitam neceſſarii ſunt, a partu animalia cognoſcunt, edocta ab inſtinctu quodam a Creatore inſito, et ab appetitu vel ſtimulo quodam irritante; aërem enim ſtatim a partu reſpirant animalia; lac ſugent, et urinam atque fæces alvinas deponunt.

Uſus vero aliorum muſculorum, quorum motus non illico et abſolute vitæ neceſſarii ſunt, ex conſuetudine ſolâ addiſcitur. Infans enim recenter natus movit ſua membra indiſcriminatim, nec cui uſui data cognoſcit; et quando primum incedere periclitatur, pedes lente et cum multâ cogitatione movet; poſtea vero currit, ſaltit, nec unquam quomodo hi motus fieri debent excogitat.——Sonos primo, verbis ſimiles, edit; literas dein et verba apprimit; progrediente vero ætate, ſermonem per horam continuare poteſt.

Suntne diſtinctæ vitalitatis et animalitatis provinciæ? vel an nervi cordis, inteſtinorum & aliorum organorum vitalium ex cerebello; et nervi ſenſuum et motus voluntarii a cerebro oriuntur? Elegans ſyſtema anatome non omnino conſentaneum eſt; quanquam enim nervi multi, ex cerebro et cerebello producti, hoc modo diſtribuuntur, non tamen omnes. Quintum enim par nervorum ramos edit muſculis, et motui voluntario et involuntario dicatis,

 Robur

Robur muſculorum varium eſt in diverſis hominibus; in omnibus vero immane eſt, præcipue muſculorum motibus voluntariis deſignatorum, cum pauci ſæpe muſculi pondus elevent, toto corpore humano majus.—Quomodo vero muſculi vim tam magnam excercere poſſint, aliter explicandum non eſt, niſi quod ſapientiſſimus Creator tantam vim muſculis dedit, ut evitaret uſum machinarum, et ut forma, ſymmetria, et pulchretudo partium conſervaretur.

Hæc de motu muſculari dicta ſufficiant, omnia vero quæ de cauſâ ejus proponuntur, pro meris conjecturis habenda velim; et jam nunc, auditores venerandi, priuſquam finem diſſerendi faciam, pauca de quibuſdam muſculorum morbis memorare liceat.

De Inflammatione Muſculorum.

MUSCULI Inflammationibus, convulſionibus, atque multis aliis morbis, tentantur.—Inflammati dolent, rubent, atque tument; et febris atque alia inflammationis ſymptomata comitantur.

Et quamvis tendines, atque aponeuroſes eorum tendinei, minus dolore videantur, eo ipſo momento temporis quo ſani irritantur vel reſecantur, attamen ſi ex hâc vel ex aliâ quâcunque cauſâ inflammatio iis ſupervenerit, multo acutius dolent; et ægroti plerumque

febri

febri fortiori, et ſymptomatibus vehementioribus aggrediuntur; et inflammatio diutius durat, curatuque difficilior eſt.

Antiphlogiſtica medendi methodus æque inflammationibus muſculorum et tendinum convenit; ſed cum tendines inflammati ſint, diutius plerumque et magis ſtricte in eâ perſiſtendum eſt.

De Contractione Muſculorum.

POST inflammationes, muſculi atque tendines aliquando rigidi nimis et contracti permanent; vel ex liquoribus in vaſis obſtructis, vel in telam celluloſam effuſis, vel ex concretione quâdam partium. Atque idem ſæpe accidit cum muſculi qui articulum movent, nimis longe in eodem ſitu, ſine motu manere permittuntur, vel propter inflammationem, vel propter oſſa fracta, vel propter vulnera, vel ulcera partium vicinarum.

Quando muſculi omnino contracti atque rigidi per tempus longum fuerint, immobiles plerumque manent.

Si vero morbus recens ſit, et muſculi motum adhuc, quantumque parvum, excerceant, ſpes eſt, eos ad munera ſua priſtina peragenda reduci poſſe; et in hoc caſu, omni modo enitendum eſt, partes rigidas emollire et relaxare; et ut hoc fiat,

Primo,

1mo. Dieta ſit tenuis atque humectans; et ſi æger robuſtus ac plethoricus, et muſculi valde rigidi fuerint, ſanguis mittendus, alvuſque ducenda eſt.

2do. Partes effectas bis terve quotidie oleis mitioribus perfricare convenit; hæc enim olea partes rigidas quam potentiſſime emolliunt, lubricantque; et ſi cutis cum iis, per horæ quadrantem vel dimidium, perfricetur, ad interiora magis penetrant; et abſorptio liquorum extravaſatorum per vaſa lymphatica augetur.

3tio. Cataplaſmata, fomenta atque balnea, multum quoque ad partes nimis rigidas emolliendas adjuvant; et perutile ſæpe eſt eas vapori aquæ tepidæ bis terve de die exponere, dum manu perpetuo perfricentur:—et proficit interdum herbas aromaticas, ſpiritum mindereri, vel ſpiritum cornu cervi, aquæ adjicere, ut vapores leniter fibras ſtimulent, et vim vaſorum abſorbentium augeant.

4to. Cum partes rigidæ, poſt balnea vaporoſa, jam exſiccatæ fuerint, moliſſimo oleo inungi debent; et dein moveri quantum ſine dolore fieri poteſt; non vero protinus, excercendum membrum, ſed paulatim ad antiquos uſus reducendum eſt.

5to. Interdum expidit, membra affecta granis hordeaceis, poſt cereviſiam confectam reſiduis, calide immergi, et ibidem ali-

quamdiu

quamdiu teneri; multis pauperibus, contractione muſculorum et articulorum laborantibus, hoc remedium præcepi, et lætus obſervavi, id iis ſæpe multum profuiſſe.

6to. Aſpertio ex alto aquarum mineralium calidarum, in partes rigidas et contractas, quam recentiores barbaro nomine *Balnei ad duccias* appellarunt, ſæpe motum partibus reſtituit, cum alia remedia antea incaſſum adhibita fuerent; et exempla hujuſmodi quotidie Bathoniæ et ad alias thermas occurrunt.

7mo. Cum muſculi contracti articulum flexum retinent, ſed ſe aliquantum extendi patiuntur, tum articuli poſt balnea et unctiones extenſi faſciis atque machinis tenendi, et magis magiſque quotidie movendi ſunt, donec ad naturalem extenſionis gradum, atque motum reducantur; et hâc methodo muſculos et articulos rigidos motui atque ſanitati feliciter reſtitutos ſæpe obſervavi.

Quatuor abhinc annis puellam duodecem annos natam, anginâ putridâ laborantem viſitavi, quæ, poſt anginam ſanatam contractione forti muſculi ſternomaſtoidei dextri aggrediebatur; venæſectione et alvi ductione præmiſſâ, muſculus contractus, faſciis capiti circumpoſitis, gradatim extendebatur; et dein ſuaſu amicæ, curatio brevi perficiebatur ter quotidie muſculum contractum perfricando

do ferro modice calido, dum pannus laneus inter cutem et ferrum interponeretur.

8vo. Cum partes rigidæ atque tumidæ ſunt, et liquores in telam celluloſam diffuſi, expedit aliquando cucurbitulas partibus admovere, ſic ut cutis incidatur; vel emplaſtra vecicatoria applicare, ut humores vel per cutem evacuarentur, vel per vaſa abſorbentia excipiantur.

Et ſi morbus inveteratus fuerit aliquando fonticuli, vel ſetacea, utilia ſunt.

De Muſculorum Convulſionibus.

MUSCULI motibus involuntariis præter naturam, ſive convulſionibus, quam frequentiſſime agitantur; quæ ex multiplici cauſâ originem ducere videntur; ſed cum earum phænomena attente contemplemur apparet, convulſiones eſſe naturæ conatus, vel,—Primo, ad quid acre aut irritans e corpore expellendum, vel a corpore dimovendum.--Vel ſecundo, ad obſtructiones reſerandas.—Vel tertio, ad ſanguinem per vaſa propellendum, cum nimis tarde pro conſervatione vitæ per vaſa fluit; ſive id a plenitudine, ſive a nimiâ vaſorum inanitate provenerit.

Hinc convelluntur muſculi, ſi cum ſcalpello, vel acri aliquâ ſubſtantia irritati fuerint, ad cauſam irritantem propellendum.—Vomitu

mitu ſæpe atque ſpaſmis vexantur ægri, ſi calculi in ductu communi choledocho, vel, in renibus, vel in ureteribus, hæreant; et convulſionibus interdum agitantur, quorum inteſtina hoſpitium vermibus præbent; vel ubi ſpinæ oſſium fractorum, vel corpora extranea, vel tumores nervos irritant.

Hinc convulſiones ſæpe per totum corpus late regnant, cum materia varioloſa, vel acris alia materia in vaſis adhuc cum ſanguine fluit.

Hinc convulſionibus interdum corripiuntur, quorum vaſa ita plena ſunt, ut ſanguis per ea libere fluere nequeat.

Et diris convulſionibus agitantur animalia ex hæmorrhagiis moribunda, cum vis cordis, et vaſorum, ad ſanguinis circulationem in vaſis continuendam, ulterius non ſufficiat.

Convulſionibus etiam tentantur muſculi ex aliis cauſis, non facile a nobis explicandis, qui intimam animalium ſtructuram ignoramus; ab animi nempe affectibus, et ex levibus in ſenſationum organa impreſſionibus factis.

De Convulſionum curatione obſervare eſt, quod diverſa medendi methodus inſtituenda ſit, pro diverſâ cauſâ, et pro diverſâ ætate, atque habitu ægroti.

Si æger plethoricus fuerit, vena ſecanda, alvus ducenda, et medicamenta refrigerantia adhibenda ſunt; et hoc modo robuſtos con-

vulſionibus agreſſos, quam citiſſime ſæpe ſanitati reſtitutos vidi.

Si vero æger ſit debilis, et convulſiones ex vaſorum inanitate originem ducant, vires reficiendæ ſunt cibo tenui ſæpe adhibito; vino atque medicamentis cardiacis, præſenti ægroti conditioni accommodatis.

Si convulſi fuerint ægri ex vermibus in ventriculo, aut in inteſtinis*, vel ex ſpinis oſſeis, aut corporibus extraneis, vel ex tumoribus nervos irritantibus, remotâ cauſâ, ceſſant plerumque convulſiones.—Sex abhinc annis, mulier quædam paupera Noſocomium Sancti *Georgii* advenit, meum conſilium petenda, tuberculum gerens molle, rubrum, piſæ ſemen magnitudine æquans, quod in bracchio dextro externe ſitum erat; atque adeo ſenſile ut convulſa præ dolore ſæpe procidat, ſi a veſtimento vel re aliquâ aliâ quam leviſſime tangeretur; ſuaſi ut tuberculum cauſtico applicato exederetur; et ſublato tumore ſtatim convaluit ægra.

* Anno præterito, (1774) filia quædam, (*Leſham* dicta,) quæ per plures annos dolore ventriculi et abdominis ſubinde recurrente, ſymptomatibus hyſtericis, et convulſionibns vexabatur, in Noſocomium Sancti *Georgii* admiſſa fuit. Poſt ſumpta incaſſum varia medicamenta, ſuſpicari incepi vermes in inteſtinis hoſpitari, et auctor fui, ut per tempus aliquod drachmam unam pulveris Stanni 4r. in die quotidie, et hauſtulum purgantem quarta quaque die ſumeret mane; medicamentorum purgantium ope vermes decem vel duodecem dejecit, meliuſque ſtatim ſe habuit.

Si

Si vero morbus exoriatur ab acri quâdam materie cum ſanguine miſtâ, expedit interdum emplaſtra veſicatoria applicare; vel fonticulos excitare; vel ſetacea facere, ut per ea materies morbida evacuetur.

Cum vero convulſiones, ex variis cauſis originem ducentes, late ſæpe per corpus vagentur, et totum hominem vehementer agitent, diverſa remedia ad eas ſedandas utenda ſunt.

Et aliquando recte dantur medicamenta anodyna, quæ nervorum ſpaſmos leniunt; qualia ſunt moſchus, caſtoreum, camphora, oleum animale, liquor anodynus, gummi fætida, *&c.*——Interdum opium largâ doſi, ad ſenſationes omnes obtundendas, et ſpaſmos ſolvendos.

Aliquando ſanguis mittendus eſt, vel cucurbitulæ admovendæ, alvuſque ducenda.

Balnea ſæpe utilia ſunt; et convenit partes aquâ calidâ fovere, ac oleo inungere, manibuſque perfricare *; et interdum eas firmas

* *Galenus* dum in Palæſtrâ exercebatur, divulſum habuit acromium a claviculo; Palæſtræ magiſter luxatum humerum credens, ſummâ vi, et repetitis vicibus diſtrahebat partem; ut nempe reſtitueret os luxatum; diſtractis tam enormi vi muſculis, ſenſit Galenus inſtare ſibi convulſionem, juſſitque totam diem et noctem oleo calido partem perfundi; teſtaturque quod dum vel modico tempore intermitteretur olei affuſio, ſentiret illico muſculos cervicis diſtendi, et inſtare convulſionem. Vide *Galen. Comment.* 1*m. in Hippocrat. de Articulis.*

faciarum ope tenere †. Ac interdum proficit ægrotum quotidie in aquam frigidam immergere ‡.

Prodeſt quoque aliquando cutem aut ferramentis, § aut ſinapi adurere; vel repetitis ignis electricæ ictibus ſtimulare, ut ſpaſmi muſculorum ſolvantur.

† *Baro Gerardus Van Swieten* memorat caſum puellæ nobilis, cujus genus nervoſum adeo irritabile erat, ut a minimo ſono, vel lumine vividiori illico convellebatur, miros motus cum lacerationis ſenſu in abdomine ſentiens; nec ferulacei ſucci, nec adeo ſalubre in his caſibus caſtorei virus proderant; dum autem faſciis crura femora, totumque abdomen ad mammas uſque firmabantur, remiſit ſtatim moleſtum malum; et datis idoneis remediis convaluit. Per menſes tamen ſic, inſtar Mumiæ Ægiptiacæ fere faſciis circumdatis, vixit non invita, cum illico tantum inde ſentiret ſolamen. Vide *Gerard. Van Swieten, Comment. in Boerhaav. Aphoriſm. vol.* 1. *page* 35.

‡ In morbo convulſivo, Chorea Sancti Viti dicto, nihil unquam magis proficuiſſe vidi, quam quotidiana in aquam frigidam immerſio; dum æger quotidie mane & veſperi vel ter quaterve in die ſumeret bolum confectum ex granis iii. iv. vel v, camphoræ et conſervæ roſarum, q. s. ſuper bibendo uncias ii, vel iii, infuſionis radicis valerianæ ſylveſtris.

§ Pater meus, in Prælectionibus ſuis Anatomicis quotannis Edinburgi habitis, narrare ſolebat ſe vidiſſe dominum quemdam (*Forbes* dictum,) qui per longum tempus convulſione, ſive contractione, muſculorum dextri faciei lateris laboraverat; multiſque incaſſum uſus fuerat remediis, a ſe ipſo et ab aliis medicis præſcriptis; donec ſuaſu amici, extremitatem inferiorem auris ferro candente adureret; quo ſubito convulſio ſive contractio muſculorum faciei ceſſavit, nec morbus rediit unquam.

Morbi

Morbi convulſivi multi numerantur, ſed pauca tantum in præſenti de *Spaſmis* atque de *Tetano* ſummatim obſervare propoſitum eſt.

De Spaſmis.

Spaſmus, Φυτωδης, a Græcis nominatus, eſt contractio ſubita, involuntaria, et præter naturam, quæ muſculos manuum, pedum, et crurum ſæpius, nonnunquam tamen muſculos aliarum partium, ſummo cruciato corripit.

In ſanis hominibus plerumque provenit ex conatu quodam, muſculos movendi forti et voluntario; additâ aliquando cauſâ quâdam leviter irritanti; & in ægrotis ex materiâ aliquâ morbi in muſculos depoſitâ, juncto nixu ad muſculum movendum voluntario.

Hujuſmodi Spaſmi longe plus doloris, quam periculi plerumque habent; ſtatimque ſæpe profligantur, muſculos contractos, vel ope muſculorum antagoniſtarum, vel manûs extendendo.——Sin vero muſculi affecti, ex ſitu, facile extendi nequeant; vel Spaſmi extenſioni non ceſſerint, uſui erit, partem affectam manu vel panno laneo molli perfricare, vel oleo calido inungere.

Si vero Spaſmus pertinax fuerit, vel ſi muſculos reſpirationi inſervientes, vel muſculos abdominis corriperit, confert ſæpe ægrum in balneum

neum tepidum immittere; & ſi morbus urgeat, & æger plethoricus ſit, expedit interdum venam ſecare, & alvum leni medicamento laxante, vel clyſmatibus ducere; & etiam opium, moſchum, vel alia medicamenta quæ nervorum ſenſationes obtundunt, & Spaſmos ſolvunt adhibere.

De Tetano.

Tetanus morbus eſt qui rigore quodam muſculorum, immobilem primo maxillam inferiorem, & dein rectam, & immobilem cervicem intendit.

In regionibus calidis idiopathecus frequenter occurrit; in his vero rarius; licet homines ſæpe poſt contuſiones, & vulnera etiam lævia adoriatur.

Hôc nullus importunior, acutiorque morbus eſt; intra quartum diem ſæpe tollit; & pauci tantum, eo correpti, evadunt.

Sanguinem mittere & alvum in initio ducere plerumque convenit; & cervicem ſatis diu perfricare, & ſubinde oleo calido perinungere utile eſt.

Balnea vero, et opium largâ, et ſæpe repititâ doſi adhibitum, pro palmariis in hoc morbo remediis habentur; ſi vero vehementius dolor crevit, admovendæ etiam cervicibus cucurbitulæ ſunt, ſic ut cutis incidatur; et ſi per hæc parum proficiatur, aliquando expedit

expedit emplaſtrum veſicatorium nuchæ applicare, aut cutem ferramentis adurere.

In tertio volumine Commentariorum Phyſicorum et Medicinalium, Edinburgi editorum, ſalivatio unguentum mercuriale cuti perfricando excitata, juncto opii uſu, ad hunc morbum ſanandum ſummopore laudata eſt; et dicitur plures Tetano laborantes in inſulâ Jamaicenſi, ab eâ ſanitati reſtitutos fuiſſe; et ibidem hiſtoria caſus, a fratre meo narratur, ubi morbus eâdem medendi methodo levatus fuit.

Quæ ulterius de uſu mercurii in hoc morbo didici, nunc dicere liceat.

A tempore quo tertium hoc commentariorum volumen editum fuit, unum tantum Tetani caſum mihi contigit videre, ubi occaſio data fuit unctione mercuriali utendi.

Homo triginta octo annos natus, die quintâ a vulnuſculo frontis lanceolâ facto, rigore muſculorum maxillæ inferioris corripiebatur; et die duodecimâ ad eum viſitandum vocatus fui; rigor aderat maxillæ inferioris, et ſigna jam Tetani ſe manifeſtare inceperant. — Alvus medicamentis purgantibus, atque clyſteribus laxata fuit; opium repetitis doſibus adhibitum; ſalivatio ab unguento mercuriali, cuti perfricato, excitata; bis de die in aquam calidam deſcendebat; et collum atque ſpina vertebrarum in die continuo fere oleis et unguentibus perfricata fuit, ſed omnia incaſſum; die enim decimâ

quartâ

quartâ fatis ceſſit. In examinando vulnuſculo frontis, poſt mortem, ramus ſatis magnus nervi frontalis ad latus vulnuſculi percurrere inventus eſt; et probabile videtur morbum, ab irritato hoc nervulo originem duxiſſe; in fundo vulneris os nudum et aſperum et leviter carie affectum fuit.

Dominus FRENCH, chirurgus ad navem bellicam regiam, *the Levant* dictam, mihi ſequentem hiſtoriam hominis, hoc morbo laborantis, literis ſcripſit. "Die primâ menſis Martis, A. D. 1770, cum navis ab inſula Jamicenſi, ad Britanniam reverteret nauticus quidam, STEPHEN DANIEL, clavi inter oſſa metatarſi pedis dextræ vulneratus fuit,—die quartâ, a vulnere inflicto, maxilla inferior fortiter contrahebatur; et die nonâ, Tetano correptus fuit.—A tempore quo prima ſigna maxillæ contractæ apparuere, fomenta humida pedi admota, et dein cataplaſmata emollientia applicata fuere, —ſanguis miſſus;—alvus quotidie laxata; et julepum e moſcho cum tincturâ Thebaicâ libere fuit adhibitum,—et die nona guttas lx tincturæ thebaicæ omni horâ aſſumpſit.

Die undecimâ, cum omnia in pejus ruerent, uſus unctionum mercurialium inceptus eſt; et ſexaginta ſolum guttulæ Thebaicæ tincturæ datæ fuere, horâ ſomni.—Die 14tâ incipiente ptialiſmo, morbus levatus fuit; et dein continuato unguenti mercurialis uſu

per

per diem unum aut alterum, donec ſaliva libere fluebat, cito convaluit.

Et Chirurgus quidam celebris mihi narravit, ſe duos homines, tetano laborantes, ſanitati a ptyaliſmo reſtitutos vidiſſe.

Anno 1772 ingenioſus et honeſtiſſimus vir dominus Ricardus Gloster, M. D. (A. D. 1773 defunctus,) in inſulâ Anteguâ vitam degens, ſequentem hiſtoriam mihi literis tranſmiſit.

Serva quædam nigra, die 12mâ menſis Decembris, anni præteriti (1771,) tetano corripiebatur, meamque opem imploravit.— In morbi initio remedia vulgo data adhibui; et ægra intra dies nonas 260 grana opii ſumpſit; et dein bolum, paratum ex granis decem opii cum parte æquali moſchi, quater in die devoravit. Cum vero per hæc parum proficeretur unctionis mercurialis periculum facere decrevi; et juſſi, ut quotidie, mane et veſpere, drachmis duabus unguenti mercurialis fortioris cutis perfricaretur; et ut ægra quotidie ter in die ſumeret bolum compoſitum ex moſcho et opio.—Die abhinc quartâ ptyaliſmi ſigna obſervata ſunt, et jam melius ſe habere incepit,—intra paucos dies morbus levatus eſt, et dein cito ſanitati reſtituta fuit. *

Medicus

* Dominus *Gloſter*, in eâdem Epiſtola obſervavit,— 1mo. Se plures ægrotos tetano laborantes magnis & repetitis opii doſibus ſanitati reſtituiſſe. — 2do, Ægros duran

M

Medicus alius, qui rem medicam in inſulâ Anteguâ fecerat, mihi narravit, ſe duos homines ibi tetano laborantes vidiſſe, qui unguento mercuriali perfricabantur, donec ptyaliſmus excitaretur; ægri vero non exinde adjuti, et a malo victi fuerunt.

Hæc ſunt quæ de uſu mercurii dicenda habui, et unum tantum aliud remedium nunc memorem, ictum nempe ignis electricæ cervicibus atque maxillis ubique admotum, qui plures hoc morbo laborantes adjuvaſſe dicitur.—Semel tantum hoc remedium in tetano tentatum vidi.—Homo jam ex aduſtionibus moribundus tetano aggrediebatur; mane ictum electricum ſæpe in maxillam inferiorem accipiebat ſine ullo levamine mali; veſperi vero poſt tertium ictum electricum maxillam libere movebat; morbus vero cito rediit, et intra 24 horas animam expiravit.

De motu Cordis, atque Sanguinis.

COR vitæ et circulationis ſanguinis organum primarium, in medio thoracis inter

durante tetano majorem opii quantitatem ſumere poſſe, quam in aliis pleriſque morbis; ſeque aliquando grana cxx. (dr. ii.) intra horas 24 eodem homini dediſſe, nec cerebrum exinde multum affectum eſſe videbatur.—3tio. Duos homines dolore ventris, (*the dry belly-ach* dicto,) nuper excrutiatos a malo liberatos fuiſſe ſumendo mercurium ſali ammoniaco extinctum, et opio conjunctum: poſtquam medicamenta antiſpaſmodica, celeberrima habita, irrito adhibita fuerant.

pulmones

pulmones ſitum, a quatuor magnis vaſis pendulum eſt, capſulâque membranoſâ, Pericardio dictâ, incluſum.

Pericardium, pleuræ continuum, laxe ubique cor ambit, et ex tribus tunicis componitur; quarum interior interne progrediens, ſuper cor ſurrepit, membranamque ejus exteriorem facit.

Pericardium cum diaphragmate, mediaſtino, vaſiſque magnis connectitur; ne in variis corporis motibus cor a ſede ſuâ demoveatur; quod ſine vitæ præſentaneo periculo contingere non poteſt.

Facies interna pericardii, externaque cordis liquore tenui, ab arteriis exhalato, continue humectatur; ut cor ſemper lubricum et motui idoneum ſit; quantitaſque ſuperflua a vaſis lymphaticis reſorbetur, ne nimio humore obruatur.

Cor ipſum muſiculus cavus eſt, arteriis, venis, vaſis lymphaticis, nerviſque numeroſis inſtructus.—Septo medio in duas cavitates bipartitur, quarum unaquæque in partes duas, auriculum nempe, et ventriculum dividitur.

Auricularum ſubſtantia tenuis et muſcularis eſt; ex columnis quaſi lacertoſis, cum interjectis ſulcis compoſita; auricula dextra magna, ſiniſtra parva eſt.

Ventriculorum vero ſubſtantia craſſa atque fortis fit; compoſita ex innumeris fibris muſ-

cularibus firmis, varie inter ſe intertextis; Dexter ſiniſtro capacior, ſiniſter vero craſſior ac robuſtior eſt. Ventriculi intus columnis carneis muſcularibus, valvuliſque ad ſanguinis reditum in auriculas, ſinuſque venoſos impediendum, inſtructi inveniuntur.

Ventriculus ſiniſter aperit in aortam; dexter in arteriam pulmonalem.—Venæ pulmonales ſanguinem ſuum in ſinum venoſum et auriculam ſiniſtram infundunt.--Venæ cavæ in ſinum venoſum dextrum et auriculam dextram.

Omnibus jam notum eſt, ſanguinem noſtrum perpetuo, dum vita durat, moveri; et a corde ſiniſtro in arterias, et ab arteriis in venas propelli; per venas ad cor dextrum rediturum; ſanguinemque dein a corde dextro in arteriam pulmonalem propulſum, per venam pulmonalem in cor ſiniſtrum iterum referri*——Huncque ſanguinis motum, circula-

* Circulatio ſanguinis in fœtu, utero contento, ob reſpirationis defectum, et pulmonum quietem, alia ratione contingit, quam in adultis hominibus; in illo, ſanguinis tantummodo parva copia per pulmones tranſagitur; pars enim per foramen ovale, pars per canalem arterioſum ad ſiniſtrum cordis ventriculum et aortam tranſit, et tantum ſolummodo ſanguinis per vaſa pulmonalia tranſit, quantum ad nutriendum pulmonem ſufficit. Cum vero fœtus ſemel aërem inſpiraverit ſanguis facilius ac majori copiâ in pulmones fluit, ac majori dein vi et copiâ ad cor redit; quibus iter ſanguini per *canalem arterioſum*, (ſive vas quod ab arteriâ pulmonali ad aortam, in fœtu adit,) atque per foramen ovale cordis ſenſim obturatur.

Cele-

culationem vocatum, primum in hoc ipſo Theatro, ſociis hujus Collegii ab illuſtriſſimo *Harveio* demonſtratum fuiſſe.

In hoc ſanguinis motu ſequentia a ſummis Anatomicis obſervata fuēre phœnomena, in animalibus vivis diſſectis, præcipue in junioribus, quæ diutius vitam, aperto pericardio, ſine reſpirationc tolerant.

1. Ambo ſinus venoſi, auriculæque ſimul implentur ſanguine a venis, ac turgent; et eo ipſo puncto temporis ventriculi ſe cotrahentes ſanguinem expellunt; duaſque magnas arterias, aortam et arteriam pulmonalem, ſanguine replent; Hæcque cordis contractio ſummâ cum celeritate, et cum manifeſtâ fibrarum corrugatione peragitur; atque cor brevius, craſſius, duriuſque fit, apexque ad baſim accedit.

2. Simul ac hoc peragitur, utrique ſinus venoſi, auriculæque ſe contrahentes, ſanguinem intus contentum in ventriculos exprimunt; eodemque tempore arteriæ ſe contrahunt, motuque ſuo oſcillatorio juncto motui a corde accepto, ſanguinis quantitatem in

Celeberrimus *Hallerus* obſervat, *Canalem arterioſum* cito aboleri, et fere intra annum.

Foramen inter cordis auriculas, *ovale dictum*, in fœtu apertum, valvulâ obtegitur, et vi ſanguinis ad cor ſiniſtrum redeuntis et contra valvulam ruentis ſenſim obturatur; attamen, plus minus, hoc foramen apertum in adultorum cadaveribus ſæpe vidi.

venas

venas propellunt; ubi ope valvularum, et fabricâ ipſarum venarum, ac compreſſione muſculorum inter quos decurrunt venæ, motus ſanguinis ad cor dextrum redeuntis accecceleratur; dum motus ſanguinis, per pulmonales venas ad cor ſiniſtrum redeuntis, alternâ dilatatione et contractione pulmonum promovetur.

3. Quando vero vires vitæ deficere incipiunt, pulſationes cordis interruptæ fiunt; auriculæ ab influxu ſanguinis venoſi perpetuo irritatæ, per tempus aliquod palpitant; et dein fortiter ſe contrahunt, ventriculoſque ſanguine replent; ſtatimque ventriculi quam celerrime contrahuntur, et ſanguinem expellunt; quieſcit dein eorum motus, donec tantum adſit ſanguinis in auriculis collecti, quantum ad ſuperandam ventriculorum reſiſtentiam ſufficit.—Et quo animal morti propinquius, eo tempora inter ventriculorum contractiones longiora ſunt; donec omnis cordis motus ceſſaverit, animalque vitam cum morte commutaverit.

Hoc modo movetur ſanguis in vivis animalibus; et hoc modo, in moribundis motus ejus tandem ceſſat; ac quæri nunc poteſt, quæ eſt cauſa motus hujus perpetui ſanguinis in vivis et ſanis animalibus? et quomodo cor ſine ullo mentis imperio per totum vitæ decurſum ſuos motus continuat, nec unquam laſſetur aut doleat a tanto labore, quem nullus alius muſculus, per horam unam aut alteram, ferre poteſt?

Natura

Natura muſculis animalium dedit vim irritabilem, præter ſenſationem quam a nervis habent; hæcque vis irritabilis major et diuturnior cordi, quam ulli aliæ corporis parti inſidet. Cor enim, e corpore viventis animalis avulſum, reſectiſque nervis palpitat, motumque ſuum per tempus aliquod continuat; ac in iis animalibus quibus ſanguis friget, ventriculuſque unicus eſt, longe pertinacius vivit, et per horas pulſat; cumque omnis motus jam ceſſaverit, ſi cor irritatum ſit fotu, vapore, vel injectione liquoris aquei in motum iterum revocari poteſt; in vivis igitur animalibus ſanguis per venas ad cor, adeo irritabile, perpetuo rediens, alterne auriculas ventriculoſque replet, irritat, ac ſtimulo ſuo contrahere facit; adeoque, dum vita durat, cor ſine ullo mentis imperio continue movere pergit, nec laſſetur unquam, quia huic uſui a ſummo Creatore deſignatum fuit.

De Modis quibus renovatur Sanguinis Motus, cum Pulſatio Cordis, et Arteriarum jam, per tempus aliquod, ceſſare viſa fuerit.

Summa hæc irritabilitas cordis cauſa eſt, cur ſæpe renovatur ſanguinis motus, cum pulſus arteriarum ulterius ſentire nequeat in hominibus lypothymiâ correptis, in ſubmerſis

merſis, in ſuffocatis, et in aliis; poſtquam enim pulſatio cordis jam ceſſaverit, chylus adhuc per tempus aliquod ſecerni, et in venam ſubclaviam perfundi pergit; dum ſanguis venoſus ab ipſâ venarum fabricâ ac ſtructurâ, atque a vaſorum elatere, aucto per frigus quod a motus ceſſatione oritur, verſus cor propellitur, novoque chylo permixtus cor ſtimulat, atque in motum iterum, ſine ullâ aliâ cauſâ, ſæpe incitat.

Si vires vitæ, per ſe, nimis debiles ſint, quam ut ſanguinem verſus cor vi ſufficiente propellent natura variis modis adjuvanda eſt, ad motum cordis, vitamque ipſam revocandam.

1. Nares ſalibus volatilibus, vel plumulâ irritandæ, ut ſternutatio excitetur; quæ eſt motus convulſivus, (ſive naturæ conatus,) in quo diaphragma, muſculi abdominales, et omnia reſpirationis organa fortiter agunt, ut aërem ex pulmonibus ſummâ vi per nares propellant; materiamque membranam narium irritantem expellant; hâc enim alternâ dilatatione et contractione pulmonum, motus ſanguinis in vaſis pulmonalibus acceleratur, et ſanguis cordi refluit magnâ ſatis vi et copiâ ad motus ſuos renovandos, ſi vita non omnino extincta fuerit.

2. Et ex eâdem ratione, ſi motus cordis diu ceſſaverit, et fibræ jam minus irritabiles fuerint, convenit aliquando alterne aërem in pulmones

pulmones inflando, pectuſque manu comprimendo, reſpirationem naturalem imitare.

3. Medicamenta volatilia et ſtimulantia temporibus, cubitis, aliiſque partibus perfricanda, ut fibræ et vaſa languida in motum cientur; et ut pars eorum, per venas valvuloſas lymphaticas reſorpta, chyli, atque ſanguinis cordi redeuntis ſtimulum augeat.

4. Cutis ubique fricanda eſt, ut motus ſanguinis in venis cietur; omnis enim frictio, et preſſura venarum, ob earum valvulas, unice reditui ſanguinis ad cor impenditur.

5. Abdomen, præcipue, manu perfricandum et commovendum eſt, ad abſorptionem et motum chyli in ſanguinem accelerandum;—ad ſanguinem in venâ cavâ inferiori, et in venis hepatis verſus cor propellendum;—ad ſecretionem bilis, et liquorum aliorum gaſtricorum promovendam;—ad diaphragma irritandum ac in motum ciendum; — atque ad pulmones, parteſque alias pectoris conquaſſandas.

6. Corpus aliquando omni modo agitandum eſt, ut motus fluidorum ubique promoveatur.

7. Interdum vena ſecanda ut ſanguis facilius per vaſa fluere permittatur.

8. Et cum pulſus jam ſentire, ſenſuſque redire inceperint, ſi ægrotus deglutire poſſit, ſummo uſui eſt, guttulas aliquot ſpiritûs alicujus volatilis, vel ſpiritûs *Lavendulæ*,

 aqua,

aquâ mixtas, vel remedia alia ſtimulantia ad fibrarum ac vaſorum motum vitalem revocandum adhibere.

Ex hiſtoriâ medicâ, et ex quotidianâ experientiâ, apparet, multos lypothimiis correptos, et ſubmerſos, et ſuffocatos, qui jam per tempus aliquod ab amicis pro mortuis habiti fuere, in vitam quaſi revocatos fuiſſe, methodis jam dictis per horam dimidiam, vel per horam unam, aut alteram, vel diutius continuatis.

Hæc de methodis cordis motum, cum jam ceſſaverit, renovandi ſufficiant, et nunc pauca de pulſibus arteriarum dicere propoſitum eſt.

De Pulſibus Arteriarum.

SANGUIS ex cordis ſiniſtro ventriculo in aortam, et dein in arterias cæteras corporis propulſus, diametros earum dilatat; arteriarumque fibras irritat; ſtatimque fibræ circulares ſe contrahunt, ac tantum ſanguinis ex arteriis expellunt, quantum ſuper medium ſui diametri modum a corde acceperant. Et hæc alterna dilatatio et contractio arteriarum, quæ a motu ſanguinis pendet, *pulſus* vocatur.

Hinc pulſus eſt menſura virium, quas cor ſanguini impendit; cum ſit earum virium proximus et plenus effectus. —— *Magnum pulſum* facit arteriarum plenetudo, cum mag-

nâ

nâ vi cordis conjunctâ.——*Parvum* inanitas arteriæ, et minor unda a corde ſubmiſſa,—*durum* ſtimulus, obſtaculum motui ſanguinis, vis cordis aucta, una cum ſanguine craſſiore, vel arteriarum rigiditate—*celerem* ſtimulus, obſtaculum, cor plus ſolito irritabile.

Numerus pulſuum, intra certum temporis ſpatium, variat in homine, in diverſis ætatis gradibus.—In infantiâ celerior multo eſt, quam in ſenectute; et quo quis junior, eo cor magis irritabile, et leviore ſtimulo in motum cietur. Variat etiam in diverſis diei temporibus; et igitur pulſus numerari debet vel tempore ſomni, vel mane cum quis primum e lecto exſurrexerit; cor enim quod mane ſexagies pulſabat, a motu muſculari, a ſtimulo potus atque cibi aſſumpti, ac a variis animi affectibus, per diem ita acceleratur ut veſperi ſæpe octagies vel nonagies pulſabit; ſomno vero ac quiete motus cordis iterum lentior fit.

Intra ſpatium minuti horæ pulſus arteriarum in variis ætatis gradibus ſic numerantur.

In infantibus recenter natis numerus pulſuum eſt a centum et triginta, ad 140.

Poſt *tertium vel quartum menſem*, et per *totum annum primum*, cor plerumque pulſat centies et vicies, pulſuſque ejus rariſſime centum et decem pauciores ſunt; leviſſimâ tamen cauſâ accelerantur ad numerum pulſuum infantis recenter nati.

Ab

Ab anno ſecundo ad tertium pulſus plerumque numerantur a nonaginta ad centum et viginti.

Et dein, progrediente ætate, ſenſim cordis pulſatio tardior fit, donec circa annum decimum quartum vel ſextum numerus idem ſit, ac in homine adulto; cor tamen magis tunc irritabile, et motus ejus leviore cauſâ acceleratur.

Numerus pulſuum in *homine adulto* varius eſt, in diverſis hominibus; in pleriſque vero pulſationes cordis a ſexaginta ad ſeptuaginta numerantur. In quibuſdam vero ad quinquaginta tantum et quatuor vel ſex; et in aliis ad octoginta vel plures.—Notus mihi erat quidam, in quo cor octogies et quater; et alter, in quo cor nonagies et ſexties, dum optimâ frueretur ſanitate, pulſabat; et ſi quando, in hoc, pulſuum numerus minor octoginta fuit, ſemper ægrotabat.

Senectute pulſus ſæpe tardior fit; et cor aliquando quinquagies vel quadragies ſolum pulſabit; ac in *ultima ſenectute* cum vires vitæ jam deficere inceperent, dicitur pulſus aliquando viginti, et aliquando duodecem ſolum numeratos fuiſſe.

In pleriſque ſanis ac vegetis hominibus pulſus fortis, in quibuſdam vero debilis eſt. In judicando tamen de vi pulſûs, cavendum eſt, ne in errorem deducemur a ſitu vel magnitudine arteriæ ſingulari.

In ſanitate pulſus plerumque æqualis et regularis eſt; in quibuſdam vero intermittens obſervatur,

obſervatur. Nota mihi fuit fœmina generoſa, cujus pulſus in ſanitate intermittebat; ſi vero febre correpta eſſet regularis fiebat; ac primum dein ſignum ad bonam valetudinem recurſus intermiſſio fuit pulſationum cordis *.

Si febris accedat, motus cordis acceleratur; et in omni fere febre numerus pulſuum diverſus eſt.

In initio febrium vaſa aliquando adeo ſanguine repleta ſunt, ut cor et arteriæ libere ſe contrahere non poſſunt; ſanguine vero e venâ miſſo, augetur et vis cordis et numerus pulſuum; cujus exemplum notatu dignum narrat celeberrimus SYDENHAMUS; (Vide *Sched. Monit.*) ubi apertâ venâ et ſanguine paulo copioſius educto emicuit febris, quâ vehementiorem nondum SYDENHAMO vidiſſe contigerat, et quæ non niſi tertiæ vel quartæ demum phlebotomiæ ceſſit. Caſus ſimiles ſæpe vidi, in praxi enim quotidie occurrunt.

In initio febrium ubi ventriculus vel inteſtina, vel partes aliæ valde ſenſibiles, inflammatione corripiuntur, pulſus ſæpe celer parvuſque eſt; et totum ſyſtema vaſculoſum ſpaſmo affectum eſſe videtur.---Miſſo vero ſanguine pulſus ſtatim fortior, plenior ac velocior fit; & in caſibus hujuſmodi morbus

* Caſus ſimiles duo enarrantur a celebri medico G. HEBERDEN, in *Medical Tranſactions*, publiſhed by the College of Phyſicians in London, *Vol.* ii, *page* 31.

plerumque

plerumque repetitis venæſectionibus levandus eſt.

In febribus, ubi ſenſorium commune afficitur, vel æger comate laborat, pulſus aliquando ex minuta ſenſatione et irritabilitate partium vix acceleratur.—Et interdum in febribus ubi bilis vel aliæ ſordes in ventriculo vel in inteſtinis collectæ ſunt, pulſus tardior fit; cujus memorabile exemplum anno præterito (1774,) vidi; cor in homine febre laborante centies et quater intra horæ minutum pulſabat; die vero febris nonâ ægrotus de anxietate atque nauſeâ conqueſtus, pulſuſque tardior factus eſt, ac pulſationes ſolum quinquaginta numeravi; dato vero leni medicamento emetico magnam bilis quantitatem evomuit; ſumptâque dein doſi unâ aut alterâ medicamenti laxativi nauſea atque anxietas circa præcordia levabantur, corque tunc nonagies pulſabat. Febris per ſex ſeptimanas duravit, ac intra hoc tempus bilis quater magnâ copiâ collecta fuit, pulſuſque tunc ſemper tardior fiebat; et evacuatâ bile iterum accelerabatur. Cum jam ſanitati reſtitutus fuerat hic ægrotus, pulſum ſuum numeravi, corque ſeptuagies intra horæ minutum pulſavit.

In quibuſdam febribus numerus pulſuum eſt ab octoginta, ad nonaginta; nec tunc morbus vacat periculo.—In aliis ab centum, ad centum et viginti; ac medici quidam celebres affirmarunt hominem, febre laborantem,

tem, cito moriturum ſi numerus pulſationum cordis centum et quadraginta exſuperet; interdum tamen natura adjuvat, et ad bonam valetudinem recurſus eſt. Obſervatu dignum eſt, pulſus centum et quadraginta ſæpe vix numerari poſſe, quia vaccillantes ac inæquales ſunt; at ubi æquales et regulares fuerant aliquando ad centum et ſexaginta, vel etiam octoginta, numerati fuerunt.

In febribus inflammatoriis, ſi poſt repetitas venæſectiones ſymptomata non leventur, neque pulſus tardior fiat, in multo periculo verſatur ægrotus.

In febribus petechialibus malignis, et in anginâ ulceroſâ putridâ pulſus plerumque a centum ad centum et decem numerantur mane; veſpere vero centum et viginti, vel triginta, vel etiam quadraginta; pulſuſque in his morbis ut plurimum parvus ac debilis eſt.—Si alia ſymptomata periculum non minitentur, non admodum timendum a ſolâ pulſus velocitate, quando numerus centum et viginti non exſuperat.—Si vero mane centum et triginta, vel quadraginta cordis pulſationes intra minutum horæ numerantur, ſummopere periclitatur ægrotus.

Pulſus intermittens in febribus plerumque ſignum malum eſt, ſi intermiſſiones frequentes et longæ fuerint; præcipue ſi alia febris ſymptomata pejora fiant, tempore quo pulſus intermittens obſervatur.—Notandum tamen eſt intermiſſionem pulſus non ſemper pro ſigno

ſigno malo habendum eſſe; poſt enim quartam, quintam, decimam, vel vigeſimam quamque cordis pulſationem quotidie in febribus occurrit, licet morbus ad ſanitatem redeat, ſine ullo malo ſymptomate exinde ſecuto, neque cauſa intermiſſionis nobis cognita ſit.—Obſervatur etiam ſæpe pulſus intermiſſio, ſi ægrotus torminibus ventris vexetur; et antea quam diarrhæa ſupervenerit; atque poſt doſin rhabarbari ſumptam.—Pulſuſque aliquando intermittit et reſpiratio difficilis ſit, ante criſin per ſudorem.—Ac in febricitantibus, ætate provectis, longas ſæpe pulſuum intermiſſiones notavi, poſt tertiam vel quartam quamque arteriarum pulſationem, licet febris nullis malis ſymptomatibus ſtipata fuerit; Fœminam generoſam ſeptuagenariam, febre laborantem ſæpe viſitavi, cujus pulſus ſemper intermittit, ſimul ac febre corripitur; et moribundæ pulſui, potius quam febricitantis ſimilis eſt; idemque in plurimis aliis ſeneſcentibus obſervavi.—An in talibus ægrotis pulſus intermittens ex incipiente virium vitalium defectu oriatur, dicere non audeo? aliquando enimpulſum hujuſmodi in hominibus, quorum vires adhuc integræ ſunt obſervatur; cujus paucis abhinc annis, (A. D. 1772,) exemplum notatu dignum vidi. Vir generoſus quinquagenarius, qui optimâ ſanitate per multos annos fructus fuerat, ſubito dolore acutiſſimo ad ſtomachi regionem infra cartilaginem xiphoideam, et nauſeâ, atque vomitu aggrediebatur; poſt tres venæſectiones, et

datas

datas aliquot catharticorum doſes, remediaque anodyna dolor levatus eſt, atque die tertiâ bene ſe habere videbatur; die vero quartâ mane, licet reſpiratio libera et æqualis eſſet, ſeſeque bene habere crederet, pulſus poſt omnem ſecundum et tertium ictum intermittebat; et vacillans, ac moribundi pulſui adeo ſimilis erat, ut cito moriturum hunc hominem crediderim, ſi de anxietate circa præcordia et de reſpirandi difficultate conqueſtus fuiſſet; datis quibuſdam medicamentis cardiacis, et applicato emplaſtro veſicatorio, poſt horas quinque vel ſex pulſus regularis iterum factus eſt; et ægrotus cito ſanitati fuit reſtitutus. Cauſa intermiſſionis pulſus in hoc ægroto mihi certe ignota eſt, et ne quidem de eâ conjectare poſſum.

Pulſus quoque varie afficitur, et irregularis fit ex morbis pericardii atque cordis.— Mollis, frequens, et parvus eſt, ubi ſtructura cordis ſive immodice flaccida evaſerit, ſive hic illic in ſuis fibris fraceſcere inceperit; ſive reſtagnans humor in pericardio collectus fuerit.

Inæqualis, parvus et intermittens obſervatur,—ſi tanta humoris copia in pericardio contineatur, quanta fere in eo contineri poteſt,* —— ſi pericardium cordi adhæreat,

* Vide plura exempla aquæ in pericardio collectæ in *diſſertatione mea de hydrope*, an eſſay on the dropſy dictâ. Page 185, Edit. tertia.

reat,*—ſi polypi in corde vel in vaſis magnis formentur, †—ſi cor ipſum, vel ventriculi, vel auriculæ ejus mole augeantur ab obſtructionibus in vaſis pulmonalibus, vel in aortâ formatis, aut ab aliâ quâcunque cauſâ, ‡—vel ſi iter ſanguinis in aortam vel in arteriam pulmonalem anguſtatum ſit, a valvulis illarum arteriarum oſſeis vel cartilagineis factis. In

* Caſus hujuſmodi quotidie in Noſocomiis occurrunt. —Anno 1765 virginem quandam viſitavi, quæ dolore pectoris et ſpirandi difficultate laboravit; cujus pulſus parvus celer et inæqualis erat; atque, a motu, palpitatione cordis vexabatur; poſt multas miſerias paſſas animam expiravit. In cadavere, cor pericardio adhærens inventum fuit, ac ventriculus & omentum rubrum & inflammatum.—Spina dorſi adeo antrorſum incurvata fuit, ut integumenta anteriora abdominis, infra cartilaginem xiphoeideam, tetigerit, et ſanguini iter per aortam deſcendentem anguſtaverit, atque cauſam malorum omnium in hac virgine fuiſſe videbatur.—Anno 1771, homo quidam ægrotus in Noſocomio Sancti *Georgii*, magna ſpirandi difficultate atque tuſſi laboravit; cor fortiter in pectore pulſabat, atque a motu palpitatio cordis moleſta admodum fiebat; a malo tandem victo ægroto, in cadavere cor mole auctum et pericardio adhærens inventum eſt, pulmones tuberculis ac ulceribus repleti, pleuræque adhærentes.

† Vide Hiſtorias polyporum in corde, et in vaſis magnis in *Boneti ſepulchreto anatomico*, *Schenkii obſerv.* &c.

‡ Paucis abhinc annis vir quidam generoſus febre, rheumatiſmo, ac dolore pectoris aggrediebatur; miſſo e venâ ſanguine, ſumptiſque medicamentis quibuſdam levabantur et febris et dolores rheumatici; dolor vero in pectore permanebat. Poſt tempus aliquod ægrotus ſpirandi difficultate, ac palpitatione cordis vexari quoque incepit; quæ mala quotidie ingraveſcebant; et ægrotus per tres ſeptimanas ante mortem, non niſi rectâ cervice ſpiritus

In omnibus illis cordis vitiis, quæ a ſe invicem ante cadaveris inſpectionem rariſſime pro certo diſtingui poſſunt, ægroti ſæpe a motu, et a cibo potuque aſſumpto, ac ab animi affectibus, cordis palpitatione forti tentantur; ingraveſcitque motus cordis ad tremorem fere uſque, una cum ſpirandi difficultate, ac ſenſu doloris et oppreſſione ad ſternum; quæ tamen ſymptomata aut omnino, aut maxime ex parte, evaneſcunt, quando ægrotus moveri deſinit et quieti ſe tradit.

De Febre.

Acceleratus motus ſanguinis, ortum ducens a cauſâ quâdam fibras atque nervos ſtimu-

ſpiritus trahere, nec in lectum decumbere potuit; dolorque in pectore acutiſſimus factus eſt, ac palpitatio cordis adeo fortis, ut pectus elevare videretur; et tandem ædematoſis factis cruribus, ac, gangrænâ ſuperveniente, mors et vitæ, et miſeriarum viri optimi finem fecit. In cadavere cor, duplo naturali majus, pericardio ubique adhæſit; auricula dextra multum dilatata fuit, ventriculus vero dexter naturalis magnitudinis; auricula ſiniſtra naturali non major, ventriculus vero ad immanem molem fuit extenſus; et magnam partem cordis, adeo mole aucti, fecit; cava cordis ſanguine nigro fluido repleta fuere; pulmones atque viſcera abdominalia ſana. Anno præterito (1774) in cadavere hominis, qui, durante vitâ, phthiſi pulmonali, hydrope et palpitatione cordis laboraverat, pulmones tumoribus, ac ulceribus ſcatebant, et ad apicem cordis ſaccus erat polypo repletus, qui in ventriculum ſiniſtrum cordis aperuit: Facie exteriore cordis, viſus eſt hic ſaccus cordis apici additamentum fuiſſe. An ſaccus hic naturalis fuit, an morbo genitus dicere non audeo.

lante, ſive ea ſit, ſanguis ipſe acrior factus a materiâ quâdam in eum abſorptâ, vel in eo natâ; ſive ea ſit inflammatio orta ab injuriâ quâdam externâ, vel a corpore quodam extraneo in parte aliquâ hærente, febris vocatur.

Cum attente febris phænomena et effectus contemplemur, apparet, febrem naturæ eſſe conamen, vel ad mitem naturalem fluidorum temperaturam, adeo vitæ et bonæ valetudini neceſſariam, reſtituendam; vel ad vaſa obſtructa reſeranda, vel ad acre quid, aut irritans e corpore expellendum.

Ab accelerato ſanguinis motu augetur et calor, et rarefactio ſanguinis; vaſa diſtenduntur, fibræ tenduntur; cerebrum nervique ſtimulantur; celerior fit fluidorum tenuiorum expulſio, et craſſiorum ex cellulis abſorptio; intimaque mixtura omnium.

Hinc ſanguis interdum ſpiſſus et inflammatorius evadit, interdum acris et ſolutus.

Et hinc debilitas,—ſitis,—dolor,—anxietas,—ſpaſmi,—delirium,—coma,——aliaque febris ſymptomata.

Febres vel in *ſanitatem*; vel in *alium morbum;* vel in *mortem*, deſinunt.

In *ſanitatem*, ſi vis febris materiam febrilem ſubigat, ſolvat, mobilem reddat, et e corpore expellat, novique chyli mixtura naturalem mitem ſanguinis temperaturam reſtituat.

In

In *alium morbum*, ſi vis febris vaſa minora partis, non vitæ immediate neceſſariæ, lædat; vel morbi materiam in partem illam deponat, vel materiam morbi non perfecte ſubigat.

In *mortem*, ſi motus acceleratus fluidorum, materiaque febrilis, vel ita ſanguinem vitiet, vel partes vitales ita lædat, ut parum vitæ functionibus perficiendis idoneæ ſint; vel ſi vis febris materiam morbi in partem vitæ immediate neceſſariam deponat, ibique ſuppurationem, vel gangrænam generet.

Varia febrium genera ab auctoribus numerantur, ſed apprime dividi poſſunt in claſſes ſequentes.

1. In inflammatorias;—2. In remittentes et intermittentes;—3. In putridas;—4. in lentas;—5. et in hecticas.

De Febribus Imflammatoriis.

IN regionibus frigidis febres inflammatoriæ magis quam in calidis frequentes ſunt.

In iis curandis;——miſſio ſanguinis in primis initiis neceſſaria eſt, non ſemel, ſed iteratis vicibus.——Ventriculus medicamento leni emetico purgandus; alvuſque ducenda eſt, ut bilis acris aliique humores putridi e corpore ejiciantur, ne a venis lymphaticis, lacteiſque abſorbeantur, ac febrem augeant; et in morbi curſu alvus purganda lenioribus medicamentis laxativis, et repetitis clyſteri-

bus

bus——Sanguis refrigerandus potu, tenui, acidulo, ac dietâ humectante vegetabili.—Febriſque vis atque ſanguinis diatheſis inflammatoria minuenda, ſalium neutralium, acidorum vegetabilium, et fructuum maturatorum uſu; et ſecretiones per cutem, atque renes, promovendo medicamentis lenioribus diaphoreticis et diureticis; et emplaſtrorum veſicatoriorum applicatione.—Et proſunt ſæpe fomenta ac balnea, ad tenſionem atque ſpaſmos vaſorum ſolvendos, et ad ſecretiones promovendas.

De Febribus remittentibus et intermittentibus.

FEBRES quæ certis vel incertis diei temporibus exacerbantur *remittentes*; et quæ quotidie vel 2dâ, vel 3tiâ quâque die recurrunt *intermittentes* dicuntur.

Febres remittentes in noſtris regionibus vere aliquando, autumno vero plerumque frequentes inter populum graſſantur.

In initio convenit plerumque ſanguinem mittere, et ſi febris fortis ſit, utile eſt poſt diem unam aut alteram, venam iterum tundere; et quo ſanguis magis ſpiſſus et inflammatorius, eo magis medendi methodus antiphlogiſtica eſſe debet.

In hoc morbo ventriculus atque inteſtina bile plerumque et colluvie putridâ replentur; expeditque vomitum elicere, alvumque repetito

petito medicamentorum leniorum purgantium et clyſterum uſu ducere. Atque commodum plerumque eſt, inter prima initia eadem potus, cibi et medicamentorum genera, ac in febre inflammatoriâ, dare; ſi vero, progrediente morbo pulſus parvus, ſanguiſque ſolutus fiat, vinum medicamentaque cardiaca addere prodeſt.

Et ſi in morbi curſu evacuatio aliqua critica, vel per cutem, vel per renes, vel per alvum ſupervenerit, ea omni modo promoveri debet.

Dum febris hæc in formâ remittentis permanet, incerti admodum ſunt Corticis Peruviani effectus.—Interdum enim Cortex Peruvianus morbum profligat; interdum tamen morbus vim corticis eludit.

Si vero febris intermittens fiat, cortex morbum plerumque tollit.

Febres intermittentes vere et autumno magis aliis anni temporibus, in hâc regione, frequentes ſunt.

Interdum in formâ febrium continuarum, vel remittentium incipiunt, et eodem modo ac febres illæ curari debent, donec intermittentes fiant.——Interdum vero inter initia prima intermittere obſervantur.

In his curandis ſi ægrotus plethoricus, nec a febre intermiſſionis tempore immunis, ac paroxyſmi vehementes ſint, convenit plerumque in initio ſanguinem mittere, et antiphlogiſticam medendi methodum proſequi, donec

parox-

paroxyſmi regulares, atque perfecta febris intermiſſio fiat; tuncque bile, et colluvie putridâ e ventriculo atque inteſtinis evacuatâ, Cortex Peruvianus morbi finem facit.

De uſu corticis Peruviani in febribus intermittentibus notandum eſt, quod ſi ſanguis ſpiſſus & inflammatorius ſit, proſit medicamenta refrigerantia cortici addere; ſi vero ſanguis ſolutus, pulſuſque debilis fiat, quod expediat radicem ſerpentariæ Virginianæ, vinum, aliaque remedia cardiaca ſimul cum cortice adhibere.

Et quod, ſi febris intermittens alium morbum profliget, commodius interdum ſit, permittere febrem ſuum curſum perficere, quam hanc ſtatim corticis uſu jugulare.

Obſervari quoque debet, febres hujusmodi interdum lenes, & poſt ſeptem vel novem paroxyſmos, ſponte ſine Corticis Peruviani uſu ceſſare.—Interdum vero quam pertinaces eſſe, vimque Corticis Peruviani effugere; tuncque commodum eſſe immerſiones in aquam frigidam, vel repetitum medicamentorum emeticorum uſum, vel cœli mutationem, vel alia remedia tentare.

In regionibus calidis febres illæ maximâ ſæpe violentiâ ſæviunt; et plerumque utile eſt ſanguinem in initio mittere; et ventriculum atque inteſtina Tartaro emetico, et medicamentis lenioribus laxativis purgare; et quamprimum ac intermittere obſervantur, Corticem Peruvianum largis et ſæpe repetitis doſibus

doſibus adhibere; ſi enim hoc inter prima intermiſſionis initia omittatur, febres hujuſmodi ſæpe continuæ ſtatim et mortiferæ fiunt.

De Febribus Putridis.

DE febre putridâ anno præterito fuſe diſſerui, et igitur hoc ulterius de eâ tantum monendum habeo, quod in calidis regionibus, poſt purgatas vias primas, utile interdum ſit, Corticem Peruvianum ſtatim propinandum adhibere.—Et quod in India Occidentali, et in aliis climatibus ſub ſole calente ſitis, occurrat interdum febris putrida *flava maligna* dicta, morbus harum regionum proprius, qui methodum medendi ſibi ipſi propriam poſtulat.

De Febribus Lentis ſive Nervoſis.

FEBRIS Lenta ſive Nervoſa dicta, lentis paſſibus progreditur; et ad diem viceſimam primam aut ultra plerumque perdurat.

Incipit ab horrore et frigore, intercurrente quodam incerto et errante calore.

Inter initia prima ægroti inſomnio, animi dejectione et ſummâ virium proſtratione vexantur;—pulſus ſemper frequens, ac plerumque debilis, et interdum inordinatus atque intermittens eſt. Urina plerumque cruda et

tenuis, interdum tamen craſſior, inſperſâ quaſi farinâ.—Lingua muco ſubalbido obducitur, et haud multum, niſi mediâ ſolum parte, inareſcit.—Sanguis miſſus fluidus et ſolutus videtur, rarius vero inflammatorius.

Obrepit indies hoc malum, ægrotique mens leviter vanis imaginibus perturbatur, plerumque vero ſine furore.—Sudores parum conſtantes, vel diarrhœa vires exhauriunt.—manus tremunt, ſubſultuſque tendinum ſupervenit;——tandemque pulſu ſenſim debiliori, & reſpiratione difficiliori factâ, vox faucibus hæret; et ægrotus vel comatoſus moritur, vel convulſio et vitæ et morbi finem facit.

In ſanitatem deſinit,—ſalivatione,—leni ſudore,—urinâ turbidâ;—diarrhœâ,—eruptionibus miliaribus,—et interdum ſine ullâ evidenti criſi.

In curandâ hâc febre obſervari debet, parvam ſanguinis miſſionem plethoricis et robuſtis in initio prodeſſe, largam tamen vel repetitam plerumque nocere.—Et licet ventriculum leni emetico, et inteſtina medicamento laxativo purgare utile ſit, medicamenta tamen purgativa fortiora vires plerumque nimis exhaurire, et delirium, ſubſultum tendinum, aliaque mala ſymptomata ſæpe inducere.

In hâc febre remedia ſalina, cardiacis lenioribus conjuncta, utilia ſunt; et cum vires

labefacere

labefacere incipiunt, convenit confectionem cardiacam, camphoram, radicem ſerpentariæ Virginianæ, vel remedia alia calidiora adhibere; vinumque generoſum liberâ manu adhibere.

Proſunt etiam emplaſtra veſicatoria capiti membriſque applicata.

In hujus morbi curſu, non æque prodeſt Cortex Peruvianus, ac in febribus vere putridis petechialibus; interdum tamen ſi remiſſio obſervetur, vel ſudores vires exhauriant, cortex optimo cum fructu adhibetur.

In hâc, ut in aliis febribus, quo pulſus fortior, vireſque majores, eo medendi methodus magis refrigerans eſſe debet; et quo pulſus debilior, et quo vires magis fractæ, eo vinum et medicamenta cardiaca magis neceſſaria ſunt. Et per gradus omnes hujus febris dieta humectans vegetabilis, cum potu acidulo, optima eſt; fructuſque æſtivi maturi, utilia et jucundiſſima fiunt remedia, niſi alvi fluxus eorum uſum prohibeat.

De Febribus Hecticis.

FEBRES Hecticæ ex variis cauſis originem ducunt, plerumque vero ex glandularum interiorum obſtructione, et ex ſuppuratione in iis vel in aliis partibus interioribus natâ; atque de illarum curatione mox, quando de phthiſi pulmonali agetur, dicendum erit.

De Pulmonum Fabrica atque Uſu.

PULMONES totam pectoris cavitatem, una cum corde occupant; ex quinque conſtant lobis, tribus in dextro, duobus in ſiniſtro latere ſitis; obteguntur membranâ pleuræ continuâ, ſubſtantia eorum ſpongioſa eſt, compoſita præcipue ex vaſis ſanguineis, vaſiſque aëreis, ab asperâ arteriâ continuatis, quæ in veſiculas ſive cellulas membraneas, aëris receptacula aperiunt; ac nervis vaſiſque lymphaticis copioſis ſunt inſtructæ.

Dum vivat animal, alterne pectoris cavum dilatat, ut pulmones aëre irruente diſtendantur; & contrahit iterum ut aër expellatur; atque hæc alterna dilatatio & contractio pectoris ac pulmonum ad aërem inſpirandum, iterumque expirandum Reſpiratio vocatur: omneque animal, quod pulmones noſtris ſimiles habet, cum ſemel aërem inſpiraverit, per totum vitæ decurſum reſpirationem continuare cogitur.

Alternâ hâc dilatatione & contractione pulmonum—1mo, Motus ſanguinis per vaſa pulmonalia acceleratur; novus chylus cum ſanguine intime miſcetur ac ſanguini aſſimulatur; corque ſiniſtrum ſanguine repletur ac in motum cietur.

2do, Vapores copioſi perpetuo cum aëre in expiratione expelluntur, aërque vapore humido repletus in veſiculas iterum aëreas inſpiratur; parſque ejus cum humoribus, ibidem contentis, permixta in ſanguinem a vaſis lymphaticis abſorbetur.

3tio, Ciborum digeſtio, atque ſecretiones in hepate, in renibus, cæteriſque in organis glandulоſis, abdomine ſitis, promoventur.

Organa reſpiratoria in expellendis quoque fœcibus alvinis atque urinâ, in ſternutatione, ac in multis aliis actionibus animalibus perficiendis adjuvant.

De Catarrho, atque Phthiſi Pulmonali.

PULMONES gravibus admodum morbis obnoxii ſunt; neque tamen alius, in hac regione, importunior quam Catarrhus, qui cum tuſſi frequenti, levique dolore pectoris urget; hominem enim perpetuo fere tuſſis vexat, præcipue cum primum in lectum decubuerit.

Frequens tuſſis ſanguinem aliquando extundit; & neglecta in phthiſin pulmonalem ſæpe degenerat; dolor enim pectoris, qui in initio ſentitur, ex levi inflammatione parvularum glandularum ac membranarum pulmonum oritur, & ſi non levetur, fluxu humorum, motuque forti ac frequenti pulmonum perpetuo augetur,

tur, tandemque ſuppuratione deſinit; atque eo ipſo tempore, quo hoc peragitur, ægrotus horroribus levibus, inordinate recurrentibus, corripitur; ac dein malarum rubore poſt paſtum, calore urente & mordaci, pulſu celeri maxime veſperi, aliiſque febris hecticæ ſymptomatibus vexatur, atque materiam purulentam cum ſputo expectorat, niſi pus in tunicâ concludatur—in latus affectum decumbere ſatis facile plerumque poteſt, ſi vero in alterum decubuerit, augetur et tuſſis et dolor pectoris.

Progrediente morbo, ægrotus plerumque quotidie magis magiſque tuſſi, dolore pectoris, ac ſpirandi difficultate excruciatur; tandemque febre, ac ſudoribus nocturnis, vel dearrhœa ægroto, & ſputo ex pulmonibus confecto ægroto mors et vitæ & morbi finem facit.

In cadaveribus tabidorum inciſorum inveni aliquando pulmones tuberculis, aut glandulis induratis obſitos, quæ ſuppurantes pus expuerant—-interdum magnum numerum ulcuſculorum, hinc inde per pulmones ſparſorum—-aliquando magna ulcera quæ magnam partem ſubſtantiæ unius vel alterius lobuli conſumpſerant, interdum vomicas; ſive ulcera magna tunicâ concluſa.

Catarrhus in hominibus prius ſanis, ſi nullis gravioribus ſymptomatibus ſtipetur, ſponte plerumque ſanatur; & ſi vehemens atque bene curatus ſit in initio, facilis plerumque

rumque ad bonam valetudinem recurſus eſt.

In iis vero quibus pulmones debiles ſunt, vel quos ſtrumæ vexaverant, vel ubi tuſſis vehemens dolorem pectoris comitem ſibi habet, atque æger in initio ſanitatem ſuam curare neglexerit, morbus ſæpe in phthiſin pulmonalem deſinit, præcipue in junioribus; ab anno enim decimo ſexto ad trigeſimum hominibus magis, aliâ ætate, inſidiatur hic morbus.

Et obſervare eſt, quod in phthiſi pulmonali minores & numeroſæ exulcerationes, atque parva tubercula exulcerata per pulmones ſparſa, majus periculum afferant, quam vomicæ & ſuppurationes largiores; ſæpe enim, ruptis abſceſſibus, ſeu vomicis in pulmone, magna copia puris tuſſi rejicitur, & tamen dietâ & regimine idoneo ægri ſanitati reſtituuntur---et quod ubi phthiſis minitatur, hanc plerumque prævenire quam ſanare facilius ſit; quotannis enim multi phthiſi minitati methodis jamjam memorandis ſanitati reſtituuntur; poſtquam vero pulmones ulcere affecti ſunt, periculoſiſſimus evadit morbus; et convalentium præ pereuntium numero perexiguus eſt.

In catarrho ſi tuſſis frequens cum dolore pectoris, atque febre, urgeat, convenit plerumque ſanguinem mittere, alvumque laxare; & ſi ſanguis ſpiſſus & inflammatorius ſit, atque non exinde levetur dolor, uſui erit venam

venam poſt diem unam aut alteram iterum tundere: ſanguis refrigerandus potu tenui copioſo blando, uſu ſalium neuteralium, & aliorum medicamentorum antiphlogiſticorum atque dietâ tenuiſſimâ humectante;--humores acres pulmonem irritantes obtundendi ſunt remediis mucilaginoſis, oleoſis, atque mitioribus vegetabilibus, quibus dulcia, mel, vel ſaccharum utiliter ſæpe conjungi poſſunt,* et convenit ſæpe exhibere gummi ammoniacum, ſcillam, vel expectorantia alia quæ muci ejectionem faciliorem reddunt.

Aliquando commodum eſt vomitum ciere epicacoanâ, ſcillâ, vel tartaro emetico in aquâ ſoluto,† interdum perſpirationem vel ſudorem mitioribus medicamentis diaphoreticis, vel

* Hujus generis ſunt infuſiones *ſeminum lini* vel herbæ *hederæ terreſtris*, vel h. *malvæ*, vel h. *tuſſilaginis* melle aut ſaccharo edulcoratæ—*emulſio amygdalarum* communis, *decoctum pectorale*, *gummi Arabicum*, *pulvis tragacanth. comp. ſpermaceti* in V. O. ſolutum, *ol. amygdal.* liquoribus aquos mixt. ope ſps. vol. cc. vel g. Arabici.

Ubi humor acris pulmones irritavit, decoctum ſequens, lacte miſtum, *lac aſininum artificiale*, vulgo dictum, pluribus profuiſſe vidi. R. limac. terreſt. contus. xviii, raſur. c. cervi, hordei perlati, rad. eryngii ſingul. unc. 1m. aquæ puræ, lib. vi. coque leni igne in vaſe figulino vitriato ad lib iii. colaturæ adde ſyrupi balſamici ſeſcunciam et ſerva pro uſu; capiat æger quotidie, mane et veſperi unc. iv. hujus decocti miſtas cum lactis vaccini recentis p. æ.

† Ubi reſpiratio difficilis a muco, vel pituitâ, in pulmonibus contentâ, poſt venæſectionem emetica ſæpe plus aliis remediis ægroto opitulantur.

balneo

balneo elicere, * et aliquando emplaſtra veſicatoria inter ſcapulas vel ad alias partes applicare.

Poſt venæſectionem repetitam, et alvi purgationem ſi tuſſis ſit frequens et moleſta, præcipue nocte, expedit medicamentum opiatum veſperi adhibere, quod tuſſim ſedando, ſomnumque conciliando plus aliis quibuſcunque remediis proficuiſſe vidi, ubi nulla aderat reſpirandi difficultas; & ubi perpetuo fere pulmones ab acri tenui materiâ in veſiculas aërias defluente irritabantur—et eodem modo, in phthiſi pulmonali convenit ſæpe tuſſim anodynis lenire.

Si æger ſanguinem tuſſi exſpuerit, nec febris nec reſpirandi difficultas urgeat, poſt venæſectionem Cortex Peruvianus, adjunctis illis quæ pulmoni conveniunt, opitulabitur—ſi vero febris fortis fuerit, calor atque motus ſanguinis temperandus venæſectione, acido vitriolico probe diluto, aliiſque remediis jamjamque memorandis, quando de febre hecticâ incipiente dicendum erit; & notatu dignum eſt, quod in hæmoptyſi aliquando proſit vomitum

* *Spiritus Mindereri; ſpiritus* vel *ſal cornu cervi, vinum antimoniale tincturæ thebäicæ conjunctum*, pulvis *Doveri*, &c. cum liquoribus aquoſis calide et copioſe in lecto hauſtis, ſudorem ſæpe in hoc malo feliciter eliciunt; facilius interdum hoc peragitur ſi ægrotus cubitum iturus, pediluvio uſus fuerit; calore enim et vi relaxante diaphoreſi favet.—Et prodeſt aliquando ſudorem elicere aut ſicco calore,

vomitum ciēre *, et nave vehi †, & ubi hæmorrhagia magna eſt, aër frigidulus calido magis conveniat; et quod præter hæc neceſſaria ſint, quies, ſecuritas, ſilentium.

Cum ſigna febris hecticæ jam apparuerint, momenti maximi eſt, quam citiſſime diro huic morbo occurrere—ſanguis mittendus eſt, non ſemel ſed iteratis vicibus, quouſque vires ſinant, vel dum ſanguis craſſus, niger et glutinoſus profluxerit ‡.

Alvus ducenda medicamentis laxativis lenioribus. Febris ſedanda uſu ſalium neu-

calore, aut balneo; ſi æger eodem tempore potum tenuum copioſum tepide hauriat.

* *Brion Robinſon* in tractatu, dicto, *Obſervations on the virtues and operations of medicines, page* 146. &c. aſſerit, Emetica non ſolum tuta ſed utilia eſſe in hæmoptyſi; theoria emeticorum uſui obſtat, experientia vero favet et celeberrimi *Robinſon* ſententiam confirmat.

† Navigatio ab antiquis in tuſſi atque in phthiſi pulmonali jam olim laudata fuit, et recentiorum experientia docuit, hanc ſæpe in hæmoptyſi proficuiſſe.

‡ Non ſemper ſuppuratio in pulmone jam facta eſt, cum ſigna febris hecticæ primo apparuerunt; obſtructio enim et inflammatio febrem plerumque incitant, antea quam ſuppuratio fiat; et hanc prævenire omni modo tentare convenit; recte igitur *Celſus* repetitas venæſectiones in morbi initio præcepit; "Si nihil reliqua proficiunt, ſanguis mittendus eſt; ſed paulatim, quotidieque "pluribus diebus, cum eo, ut cætera quoque eodem "modo ſerventur" *lib.* 3. *c.* 22. Et provecto jam morbo, pectus aliquando adeo opprimitur, vel calor atque febris ita urgent, ut frequentiſſime aliquantum ſanguinis detrahere opus ſit.

tralium,

tralium, acidorum, vegetabilium mitiorum,* et medicamentorum aliorum refrigerantium et interdum Corticis Peruviani ope †.

Cibus eſſe debet mitis, lenis, ac concoctu facillimus; ex lacte nempe et vegetabilibus paratus—debilibus lac humanum, a muliere ſanâ et bene valente detractum, lactis cæteris generibus præponitur,—lac vaccinum recens multis, non tamen omnibus, convenit—lac aſininum minus nutrit, magis tamen calorem temperat et detergit; et ideo apud nos magis eligitur ‡; et ex eâdem ratione lac ebutyraceum, ac ſerum lactis vaccini, vel caprini, lacti puro omnis generis ſæpe anteponenda ſunt.

Multum hîc proſunt fructus maturi, quales ſunt fragra, ceraſa, pyra, poma, uvæ, aurantia; ægrotis plerumque jucundiſſimi ſunt et ſitem atque calorem temperant.——Olera et ligumina utilia ſunt;

* Succus aurantiorum vel limonum, aquâ hordeatâ miſtus, ægrotis plerumque jucundiſſimus eſt, ſitim enim et æſtum febrilem lenit—et aqua picea ad lib. 1. quotidie hauſta a quibuſdam ſummis laudibus effertur, utpote remedium in hoc morbo utile.

† Quotidie occurrunt exempla hominum tuſſi atque febre, febrem hecticam æmulante, laborantium, qui ſanitati Corticis Peruviani uſu reſtituuntur.

‡ Si lac in ventriculo cogatur, expedit conſervam roſarum, vel pulveres abſorbentes, vel aromatica mitiora lacti immiſcere; vel ferrum candens in lac injicere—et ſi alvus nimis laxa ſit, convenit interdum adſtringentia mitiora adhibere vel folia roſarum rubrarum, vel corticem cinnamoni, vel corticem granatorum in lacte coquere.

atque panis triticus, panis biſcoctus, cremores ex oryzâ, hordeo, vel avenâ, victuſque alius ex vegetabilibus paratus hominibus phthiſi pulmonali laborantibus conveniunt—Maximâ vero ex parte nocent victus animalis *, condimenta, liquores fermentati, aliaque id genus ſtimulantia, calorem enim atque motum ſanguinis nimis plerumque augent.

Potui aptiſſimi ſunt liquores refrigerantes, cujus generis ſunt aqua hordeata, decoctum pectorale cum parvâ quantitate oxymellis ſimplicis vel ſyrupi e ſucco aurantiorum additâ, emulſio amygdalina, ſerum lactis, aqua Briſtollenſis, vel aqua Seltzerana cum lacte mixta, potuſque alius hujuſmodi.

Magno conclavi tenendus eſt æger, quo multum atque purum aërem trahere poſſit; et caloris pariter ac frigoris ſtimulus vitandus eſt.—Aër nec nimis frigidus, nec nimis calidus eſſe debet; iſque optimus eſt, cujus temperies mercurium thermometri Farenheitiani non infra gradum quinquageſimum-quartum deſcendere, nec ſupra gradum ſexageſimum

* Si vero victus ex lacte et vegetabilibus ſolis confectus minus ægroti ſtomacho arridet, et neceſſe ſit aliquid generis animalis cibo adjicere, danda ſunt horâ meridianâ ova ſorbilia vel albumen ovi aquâ tepidâ et ſaccharo miſtum, vel jura tenuia ex pullo, vel e carne ovino vel bovino ſine adipe, vel ex viperis, vel e cancris fluviatilibus parata; vel piſces teſtacei, vel piſces aridiores digeſtu faciles, ea enim aptiſſima quæ concoctu facillima ſunt, et quæ motum ac calorem ſanguinis minime augent.

quartum

quartum aſcendere facit; rureque aër purior eſt quam in urbibus, et phthiſicis magis convenit.

Et cum cæli temperies in Inſulis Septentrionalibus variabilis ſit, et ſubitæ ac frequentes tempeſtatum mutationes fiant, phthiſisque pulmonalis in his magis frequens, quam in aliis Europæ partibus obſervetur, utile plerumque eſt, hyeme appropinquante, cælum mutare; atque ex hâc regione in Italiam, vel in Hiſpaniam, vel in aliam regionem meridionalem, ubi aëris temperies hyeme noſtrâ calidior ac magis ſtabilis, iter facere; æſtate vero in regionem magis ſeptentrionalem redire; hoc anni tempore aër in Angliâ temperatus eſt, atque thermæ Briſtollenſes multis Phthiſicis quotannis proſunt.

Utilis etiam in hoc morbo eſt peregrinatio; præcipue ſi æger equo vehatur, et ſi vires ſufficiant equi concuſſiones ſine incommodo ferre. *Sydenhamus* hoc pro palmario hujus morbi præſidio habuit; et quotidiana experientia ſuam ſententiam ſtabilivit. Monendum tamen eſt, quod ſi tempeſtas pluvioſa, vel aër nimis frigidus aut nimis calidus ſit, ac pulmones valde irritabiles, aliquando noceat; nocet etiam, ſi ægrotus debilis febre et calore ardente excrucietur; vel ſi languor et debilitas equitationi ſuperveniat.

Ubi æger nimis debilis quam ut equitationis concuſſionem ferre poſſit, geſtatio in curru

curru utilior eſt; et quibuſdam nave vectari* commodiſſimum. Sin navigationem aliqua res prohibet, lecticâ, vel alio modo corpus movendum eſt.

In hoc morbo a negotiis abſtinendum eſt, omnibuſque rebus, quæ ſolicitare animum poſſunt.

Vapores decoctorum emollientium calide in pulmones inſpirati inflammationibus et obſtructionibus pulmonum ſæpe proſunt; et ægrotis quorum cutis arida, et minus perſpirabilis eſt, balnea tepida, atque balnea aquoſa vaporoſa interdum utilia ſunt.—Duobus abhinc annis, menſe Aprilis, 1773, memorabile exemplum hujuſmodi vidi. Virgo quædam, octodecem annos nata, tuſſi violentâ atque febre dein hecticâ laborabat. In initio morbi vena ſecta fuit, et medicamenta varia ſumpſit; tandemque cum res pene deſperatæ fuere, conſilium meum petivit. Eo tempore, febre, ſiti, atque tuſſi fere continuâ excruciabatur; pulſus centies et vicies intra horæ minutum pulſabat; emaciata ac debilis valde fuit, materiamque puri quam ſimillimam expectoravit; nocte ob tuſſim vix dormivit, cutiſque aſpera ac quam arida fuit.——In ul-

* Navigatio in verâ Phthiſi laudatur a *Celſo*; "Opus eſt, "ſi vires patiuntur longâ navigatione—ſi id imbecillitas "non ſinit, nave tamen, ſed non longe, vectari com"modiſſimum eſt.' *Lib.* iii. *cap.* 22.—et ingenioſus *Gilchriſt*, in libro ſuo *Of the uſe of ſea voyages in medicine*, navigationis uſum in hoc morbo exemplis confirmat.

timo

timo Phthiſis Pulmonalis gradu hanc ægram jam eſſe, citoque morituram credidi. Attamen ad mala levanda ſuaſi, ut vena tunderetur, et ut ægrota dietâ totâ vegetabili ac lacteâ uteretur, remediaque refrigerantia atque laxativa ſumeret; auctorque fui ut in aquam tepidam deſcenderet ad cutem emolliendam, magiſque perſpirabilem reddendam. Amici primo de balnei uſu dubitaverunt; cum vero aliis remediis parum proficiebatur ad balnea domini Dominicetti *Chelſæ* ſe contulit; ubi quotidie fere balneo, et balneo tepido vaporoſo aquoſo uſa eſt. Poſt balneum unum aut alterum levamen ſenſit, nocteque melius dormivit; quotidie dein melius ſe habebat, et intra ſpatium duarum menſium ſanitati fuit reſtituta; atque ſana adhuc vivit.—Anno ſequenti aliam virginem eodem morbo laborantem ibidem vidi, quæ, ut mihi poſtea dictum, integræ valetudini balneorum ope reſtituta quoque fuit†.

Licet vero quibuſdam balnea opitulari poſſint, non tamen omnes adjuvant; ubi enim

† Fumus *Thuris*, *Styracis*, *Myrrhæ*, *Benzoini*, *Balſami Tolutani*, vel aliorum balſamicorum in prunas injectorum, per tubum aptum in aſperam arteriam & pulmonem receptus, ad ulcera in pulmone ſananda laudatur a celeberrimis viris, *Chriſtophero Bennet*, *Lazaro Riverio*, & *Ricardo Mead*, nunc vero a pleriſque tanquam inutilis hæc medicina negligitur.—Nihil de uſu fumorum hujuſmodi ab experientiâ propriâ dicendum habeo, ſed rationi maxime congruum videtur, hoc remedium in multis caſibus tentare; et per tempus aliquod continuare, ſi fumus pulmones non nimis irritet.

cutis

cutis nimis jam perſpirabilis eſt, et ægrotus ſudoribus nocturnis defluit, corruptaque jam viſcera ſunt, nocere potius quam prodeſſe obſervantur.

Fonticuli atque Setacei, materiam morbidam a pulmonibus divertendo nonumquam proſunt; ubi vero morbus jam inveteraverit, haud magnum commodum ab eorum uſu expectandum eſt.—Si pulmo pleuræ adhæſerit, ibique eveniat abſceſſus et foras ſe oſtenderit humor, imponendum eſt cauſticum medicamentum, quo emittatur; ulcus autem per totam vitam, aut per tempus ſatis longum, apertum ſervare oportet.

Cortex Peruvianus in Phthiſi Pulmonali ſummis laudibus ad ſupprimendos paroxyſmos febriles a *Mortono* aliiſque effertur; ſæpe vero et febrem et diatheſin inflammatoriam ſanguinis auget; attamen negandum non eſt, ubi pus e vomicâ libere exſpuebatur, et neque febris neque ſpirandi difficultas vehementer urgebant, Corticem Peruvianum interdum profuiſſe; et ubi febricula atque tuſſis moleſta erat, ſed certa ſigna ſuppurationis nondum apparuerant, ægros multos venæſectione, dietâ vegetabili atque lacteâ, et uſu dein Corticis Peruviani ſanitati reſtitutos fuiſſe*.

Medici

* Nocent plerumque in hoc morbo balſama nativa *Copaivi*, ſcilicet, *Peruvianum*, *Tolutanum*, & *Balſamum Locatelli* a *Mortono*, aliiſque ad ulcera in pulmonibus ſananda

Medici quidam mercurii uſum in hoc morbo ſummopere laudaverunt, dum alii mercurium plus nocuiſſe quam profuiſſe crediderunt.—Hoc remedium in Phthiſi Pulmonali adhibitum vidi, ſed morbi progreſſum ab eo plerumque acceleratum, ægrotoſque ante diem in orcum præcipitatos eſſe putavi; in quibuſdam vero hominibus junioribus, qui febre hecticâ et tuſſi, una cum lue venereâ, laboraverunt, mercurius aliquando et febrem et luem veneream, præter omnem expectationem, ſuſtulit, ægrotoſque ex orci quaſi faucibus eripuit.---Et ex hiſtoriâ medicâ apparet utilem aliquando fuiſſe mercurium in primo morbi gradu, ubi nec ſanguis extravaſatus, nec ulcus formatum fuerat*.

De

ſananda commendata; febrem enim, tuſſim atque diatheſin inflammatoriam ſanguinis ut plurimum augent; proſunt attamen aliquando, licet rariſſime; ubi nempe pus libere e vomicâ exſpuitur, et nec febris nec tuſſis nimis urget.

* Celeberrimus *Archibaldus Pitcairn* uſum mercurii in hoc morbo ita ſuadet. ‘ Sed quamdiu tabes eſt in ‘ primo gradu, et probabile eſt ſanguinem non eſſe ex- ‘ travaſatum, ulcuſque nondum factum, debet ante u- ‘ ſum decoctorum, et dum purgantibus utemur, adhi- ‘ beri mercurius dulcis, non quidem cum purgantibus ‘ ſimul eodem die, ſed poſt aliquot dies ſine purganti- ‘ bus.’ Vide *Element. Medicinæ*, *p.* 131. *cap.* 16. § 18. —Et ingenioſus vir, *Ebenezer Gilchriſt*, in tractatu ſuo, *Of the uſe of ſea voyages* dicto, p. 108, obſervat, Phthiſin ſæpe ex tuberculis originem ducere, et ſe in caſibus hujuſmodi, ſuaſu aliorum mercurium ſublimatum dul-

cem,

De Phthiſi Pulmonali dicendum ſolummodo reſtat; quod in ultimo hujus morbi gradu ægroti ſudoribus nocturnis, diarrhœâ, et ſpirandi difficultate plus minus excrucientur; et quod hæc ſymptomata leniri plerumque, rariſſime vero ſanari poſſint.---Si ſudores nimis ſint profuſi, moderantur pernoctatione in cubiculo amplo et bene perflato, corpus ſtragulis paucis velando, atque uſu Corticis Peruviani, acidorum vegetabilium, et acidi vitrioli probe dilati.---Si inteſtina nimis laxa ſint, convenit poſt purgatam alvum interdum opiata, interdum medicamenta adſtringentia adhibere, vel ea lacti*, vel cibis aliis conjungere.---Et ubi reſpirandi difficultas

cem, *Calomel* dictum, ſæpe ſine fructu adhibuiſſe; poſtea vero cum uſum argenti vivi melius cognoverit, ſe plures Phthiſi Pulmonali ex hâc cauſâ minitatos pilulâ mercuriali ſanitati reſtituiſſe.

* Celeberrimus *R. Mead* recte uſum aſtringentium, lacti conjunctorum in febre hecticâ commendat. ‘ At infeliciter interdum evenit, ut cum lactis uſum maxime ‘ deſiderat corpus, tanta ſit inteſtinorum lævitas, ut illud ferre non poſſint. Cum in tali igitur loco res ſit, ‘ illud hoc modo componendum eſt: *Flores roſarum rubrarum* ſiccatarum, *Balauſtia*, *Cortex malorum granatorum*, *Cinnamonum* ſingulorum drachma una coquuntur in lactis vaccini librâ unâ. Cum ebullire incipit ‘ frigida aqua affunditur parva portione ut reſtinguatur ‘ et ſubſidat; ſinitur iterum ebullire et eodem modo reſtinguitur, idque toties faciendum eſt, donec libra una ‘ abſumpta, lactis ſimul et aquæ quod reſtat, libræ unius ‘ menſuram adæquet. Tum colandus eſt liquor, quem ‘ totum

cultas urget, interdum venæſectio, aliquando medicamenta emetica, et pectoralia, et interdum emplaſtra veſicatoria lateri vel inter ſcapulas applicata utilia ſunt.

Hæc ſunt quæ de Phthiſi Pulmonali obſervanda habui; et nunc pauca de Dyſenteria dicere liceat.

De Dyſenteria.

DYSENTERIA eſt morbus in quo æger gravia patitur ventris tormina, cum frequenti deſidendi cupiditate, et dejectionibus mucoſis ac ſanguineis.

Incipit plerumque ab horrore et frigore, febre, nauſeâ, vomitu, atque alvi torminibus*.

Die

' totum, commiſto ſaccharo, partitis, uti commodum ' erit, hauſtibus, ægrotus ebibet quotidie.' *Monit. med. ſect.* 10. *De febrib. lentis ſive hecticis.*---Lac ita paratum quam utile in hoc morbo inveni.

* Non ſemper eodem modo incipit hic morbus.—Interdum, enim ægroti de corporis laſſitudine, cibi faſtidio, nauſeâ, ventris tumore, moleſtiſque in eo motibus, atque de ſiti, et calore febrili per diem unam aut alteram ante alvi profluvium conqueruntur.—Et ſæpenumero quando febres putridæ, velglioſæ remittentes eodem tempore cum Dyſenteriâ epidemice inter populum graſſantur, ſymptomata illorum morborum adeo in initio conſimilia ſunt, ut per dies aliquot unum ab altero morbo diſtinguere difficile ſit. Et accuratiſſimi viri *Sydenham* & *Huxham* crediderunt Dyſenterias, quæ cum febribus

 epidemice

Die primâ alvi dejectiones copioſæ, bilioſæ, et naturalibus ſimiles ſunt; poſterâ vero, vel brevi poſt, exiguæ, mucoſæ, vel aquoſæ, et bile permixtæ; aliquando pituitæ muciſque ſimiles, et interdum ſubcruentæ.

Ex hoc tempore tormina, quæ inter Umbilicum atque Os Pubis plerumque ſita ſunt*, cum borborygmis atque flatibus gravibus immaniter ſæviunt; ægros quoſdam tantummodo

epidemice graſſantur, ipſiſſimas illas eſſe febres, hoc tantum diſcrimine, quod introvertentur, et in inteſtina ſe exonerantes per eadem viam ſibi faciant. Vide *Sydenham de Morb. Epidem. p.* 45, *et de Dyſenter. Anni* 1699, p. 181. Oper. Lugd. Batav. A. D. 1741, edit.—*Huxham de aëre et Morb. Epidem.* Vol. ii. pag. 99.—Et interdum licet rarius homines ſubito alvi fluxu atque torminibus corripiuntur, et tum demum febris manifeſto ſe prodit.—Et aliquando Dyſenteria in febribus petechialibus putridis, & in febribus autumnalibus bilioſis, ſymptomatica eſt.

* *Hoffmannus* ait,—'Ipſa quod attinet inteſtina; determinari facile poteſt, quænam eorum potiſſimum diſcrutientur. Quod ſi enim proxime circa Umbilicum atrox ſentitur dolor, ſique hunc tardior ſequitur dejectio, certum eſt tenuia laborare. Quando autem ad epigaſtricam regionem, ubi Colon ſitum eſt, aut hypogaſtricam, atque hypochondria torminum vis incumbit, ipſæque fæces brevi rejiciuntur, craſſa laborare in aprico eſt. Ac ubi aſſidua fere inanis tamen deſidendi vexat cupiditas, aut mucus fere tenax viſcidus paucus, acer et virulentus promanat; ulcus in recto conſiſtere inteſtino vero videtur ſimillimum.' *Hoffman. Oper. tom.* iii. *p.* 152. *Sect.* 2. *cap. vii.* § ii.—*Cel. Dezon* voluit, quod, ſi ſedes morbi in tenuibus inteſtinis ſit, tormina ſæviora, doloribus ab acuum puncturis excitatis ſimillima ſint, et quod ægri, non ſtatim, poſt tormina

modo ante et poſt dejiciendi cupiditatem, alios aſſidue fere torquentia; cum dolore in ano, exiguum aliquid emittitur; atque eo tormentum intenditur, quod poſt tempus aliquod levatur; ac in hoc morbo exigua plerumque requies, ſomnuſque interpellatur.

Cum morbus per tempus aliquod continuaverit, ægri, poſt gravia tormina, ſanguinem aliquando purum, aliquando fæcibus miſtum dejiciunt; deſcenduntque ſæpe globuli rotundi fæcium induratarum dejectionibus liquidis permixti; interdum filamenta mucoſa membranis ſimillima, vel villoſæ inteſtinorum tunicæ partes,* et aliquando, licet rarius, fruſtula muci indurati albeſcentia, ſevi aut adipis inſtar.—Vermes item ſupra, infraque haud raro in hoc morbo projiciuntur.—Et aliquando veſiculæ liquore male olente plenæ dejiciuntur.

Inter-

tormina, dejiciant, ſanguiſque intime cum dejectionibus commiſceatur. Si vero ſedes morbi in craſſis inteſtinis ſit, dejectiones tormina ſtatim ſequi, et ſanguinem cum fæcibus alvinis non intime miſceri. Vid. *Dezon Lettres ſur les principales maladies qui ont regné dans les Hopitaux de l'armée du Roy dans les années* 1734-5-6. publiè a Paris, 1740. Lettre viii. pag. 200.

* Non ſolum filamenta et membranarum partes dejiciunt Dyſenterici, ſed etiam interdum, licet rarius, tubulos membranaceos, duos vel tres polices longos; parti integræ, ejuſdem longitudinis, tunicæ internæ inteſtinorum ſimiles. *N. Cheſneau* narrat hiſtoriam fœminæ, quæ die quartâ Dyſenteriæ dejecit velut inteſtinum, palmi longitudine, et die dein 10 aliam inteſtini pellem quatuor palmarum longitudine.

Interdum, intra dejiciendi niſus, anus procidit;* et interdum poſt gravem in ano dolorem, qui per dies aliquot continuaverat, pus verum laudabile dejicitur.

Varie terminatur hic morbus.

Aliquando venæſectione, et opportunâ alvi purgatione in initio, facilis ad bonam valetudinem recurſus eſt.---Interdum febris ſummopere urget, et inflammatis inteſtinis hominem cito e medio tollit.---Plerumque vero febris poſt dies ſex, decem, vel duodecem, ceſſat; et dein ſi morbus lenis, vel bene curatus ſit, ſenſim ſenſimque leniuntur tormina, cæteraque mali ſymptomata; et intra ſeptimanas duas, vel tres, vel quatuor integra va-

tudine. *Obſ. Med. lib.* iii. *c.* vii. *Obſ.* 4. *N. Tulpius* enarrat caſum hominis Dyſenterici qui intra octidui curriculum excrevit infra integram illam tunicam, quæ rectum intus obvelat; et tandem convaluit. Vid. *Tulpii Obſ. lib.* iii. *obſ.* 17.—Hiſtoriam ſimilem in *Edin. Medical Eſſays, vol.* vi. *art.* 67. conſcripſit *T. Simſon.*—Et ſimiles multæ obſervationes apud auctores medicos inveniendæ ſunt.

Dubium adhuc inter medicos eſt, An corpora illa, filamenta nempe, membranæ, et tubi, ab ægris dejecta, veræ ſint inteſtinorum tunicarum partes; an a muco in inteſtinis formata. Vero ſimillimum mihi videtur, hæc plerumque a muco & pituita fuiſſe facta; aliquando tamen tunicæ villoſæ partes eſſe. *T. Simſon* enim aſſeverat ſe multas villoſæ tunicæ fibras, atque vaſa in tubo illo membranaceo, quem ipſe examinaverat vidiſſe. Quæri poſſit, an tunica villoſa inteſtinorum ſuppuratione aliquando ſeparatur, eodem modo ac cuticula manus vel pedis?

* Quin et rectum ipſum modo deſcendit, modo adeo arcte conſtringitur ut nihil intus recipiat.

letudo

letudo redit; aliquando tamen diutius protrahitur morbus.

Si vero morbus vehementior, aut malignæ naturæ fuerit, vel ſi neglectus, vel male in initio curatus, diu plerumque ſævire pergit, ac ægroti vires conficit; parumque proficientibus remediis adhibitis, frebricula tandem hectica oritur quæ hominem tollit; vel ſi malum ad ſalutem tandem inclinet, lentis paſſibus ad ſanitatem progreditur; diuque levitate inteſtinorum excruciatur ægrotus*.

Ex inſpectione cadaverum eorum qui Dyſenteriâ fatis functi fuēre, apparet, totum inteſtinorum tractum aliquando hoc malo affectum fuiſſe; ſed inteſtina craſſa ſemper et graviſſimē.

Omentum, jecur, atque alia abdominis viſcera, aliquando etiam una patiuntur; ſed quia inteſtina morbi ſedes ſunt, quæ in iis obſervata fuēre, fere ſolum attingam.

In hominibus, qui morbo recenti ſuccubuēre, ventriculus et inteſtina tenuia ac craſſa

† Quibus hoc morbo graviori convaleſcere contigīt, ii tarde ad perfectam ſanitatem reducuntur; leviſſimâ enim in regimine culpâ in pertinacem diarrhœam ſæpe incidunt. Neque teneſmus, et hœmorhoides poſt morbi abitum raræ ſunt; & Dyſenteria quæ pertinax fuit ſæpe inveterantem diarrhœam relinquit; cujus memorabile exemplum vidi, in generoſo viro qui per annos viginti poſt Dyſenteriam malignam paſſam, undecies et ultra alvum quotidie exonorabat; aliter bonâ plerumque ſanitate fruebatur.

in-

inflammatione et gangrænâ hinc inde affecta viſa ſunt*.---Et aliquando, licet rarius, tubercula

* Miles quidam qui diarrhœâ laboraverat, ex hauſtu largiori aquæ frigidæ torminibus corripiebatur, et die morbi 7mâ diem ſupremam obiit. In cadavere, veſicula fellea bile atrâ repleta, & veſicula urinaria morbida fuit.—Inteſtinum rectum et pars coli inferior gangrænoſa; et inteſtinum rectum quam putridum.—Tunica villoſa partim eroſa, partim nigra et tenerrima facile dilacerari potuit.—Tunica vaſculoſa quaſi cerâ injecta apparebat; ligamenta Coli morbida leviter tantum tunicæ exteriori inteſtini adhæſerunt, pars Cæci ſphacelata fuit; et inteſtina tenuia rubra et inflammata apparuere. Vide *Sir J. Pringle's Obſervations on the diſeaſes of the Army. Part* iii. *chap. vi.* § 2.

Filia quædam a matre Dyſentericâ infecta, die 12mâ morbi in Noſocomio regio Edinenſi fatis functa fuit. Cadavere inciſo, color externus inteſtini recti atque coli maximâ ex parte vel liveſcens, vel purpureus et niger videbatur. Per tres a ſphinctere ani digitos nonullæ intus partes inflammatæ, aliæ gangrænoſæ apparuere. Reliqua Recti, et maxima quoque Coli pars interior magno tuberculorum duriorum et nigreſcentium numero conſita fuerunt; a medio fere Coli eadem pauciora numero, inteſtinumque minus gangrænoſum.—In Ilio circiter ſeptem vel octo digitos a Coli capite tubercula inter ſe multum diſtare, et albeſcente colore eſſe, cum parvâ hujus inteſtini inflammatione cernebantur.—Circa ſummum Recti et Coli imum, ubi mors partis maxima erat, inteſtinum per omnes ejus tunicas, facile, & in omnes partes, dilacerari potuit. Eaque inteſtinorum pars cum quâ Meſenterium & Meſicolon conjunguntur, per totum ſpatium, quod læſum erat, pejus ſe, quam reliquæ, habere conſpiciebatur.—In ſuperiori Coli tractu, ubi tubercula rarius oculis occurrebant, multa loca leviter eroſa animadvertebantur. Etiam ſuperius in Colo, & in initio Ilii, ubi hæc omnia etiam oſtendebantur, nihil erat eroſum, ſed rubras maculas paſſim conſpicabamur. Reliqua omni

bercula puſtulis variolofis pravis ſimilia, ſed ſolida et ſine cavo, in tunicâ villoſâ internâ Coli atque Recti inteſtini inventa fuēre.†

In cadaveribus eorum, in quibus morbus inveteraverat, inteſtina craſſa ſemper, tenuia vero rarius, morbo affecta fuiſſe dicuntur. ---Et ex hiſtoriâ medicâ apparet, inteſtina craſſa in quibuſdam ulcerata fuere.——In aliis, tuberculis ſchirroſis, cavum arctantibus obſeſſa,——in aliis, tunicam eorum villoſam atro ſanguineo limo obductam, vel abraſam, vel maculis liventibus ſphacelatis inſignitam. Et

nia abdominis viſcera prorſus ſana apparuēre. Vide *H. Sheil*, *Diſſert. Med. inaugural. de Dyſenteriâ*, *Edin. A. D.* 1765.

† In cadavere hominis Dyſenteriâ, epidemice A. D. 1762, Londini graſſante, extincti, inteſtinorum parietes mole admodum aucti, et aliquibus in locis coarctati fuere. Facies interior recti, coli, & cæci, et particulæ etiam alicujus extremi ilei livida viſa eſt, inteſtinum ſphacelo corruptum haud male referens; iſtam vero livoris ſpeciem haud aliud induxerat, quam mucus quidam, aterrimi coloris, inteſtinis ubique illitus;—facies inteſtinorum craſſiorum inferior numero ingenti tuberculorum obſeſſa fuit; tubercula puſtulis variolarum mali moris conſimilia viſa ſunt; niſi quod magis inter ſe inæqualia et intus ſolida fuere, et in parte unâ plura, in alterâ pauciora inventa. Tunica cellularis et villoſa adeo inter ſe confuſæ fuerunt, adeoque denſatæ vi inflammationis, ut utrum a cellulari tunicâ (internâ ſcilicet prius deſtructâ) ortum tubercula duxerint, an ea tunicævilloſæ ſolummodo concretiones extiterint difficile quidem dictu fuit. Vide *G. Baker Libel. de Catarrho, et de Dyſenteria Londinenſi. A. D.* 1762, *page* 38. In altero cadavere inteſtina

——Et in quibuſdam, inteſtina tenuia etiam inflammata, vel exulcerata*.

Ex inſpectione multorum cadaverum, exiſtimo ſequentem ſtatum eſſe, magis frequentem, inteſtinorum hominum febre hecticâ dyſentericâ conſumptorum.

In omnibus, uno excepto, facies interna Coli atque Recti inteſtini maculis atris numeroſis, partes ſphacelo corruptas haud male referrentibus,

teſtina craſſa magis corrupta, ſed eodem modo affecta fuere; tubercula non tam ſibi invicem contigua, et pauciora; inventa ſunt neque adeo evidenter patuit, eorum ſuperficiei nullam obductam fuiſſe membranam. *Ibidem.*

* *G. Cleghorn* ſe ſequentia in Dyſentericorum cadaveribus obſervaſſe ait: Inteſtina craſſa ſemper vel ſphacelata, vel partim inflammata, partim gangrænâ affecta; rectumque inteſtinum maxime plerumque morbidum; et in quibuſdam ſchirrhoſa eſſe tubercula in multis coli locis, quæ cavum ſuum arctabant.—In parvo cadaverum numero parvuli aderant abſceſſus in Peritonei celluloſâ telâ Colo atque Recto contiguâ.—Interdum inteſtina tenuia ſana; ſed plerumque pars inferior inflammata fuit, et anfractus eorum ſibi invicem concreti. In duobus, omentum tabefactum, et cavum abdominis aquâ purulentâ fuit repletum: In quibuſdum omentum inflammatum inteſtinis et Peritoneo adhæſit. In pleriſque veſicula fellea bile atra fuit plena; et lien plerumque plus minus morbidus. Vide *G. Cleghorn's Obſervations on the Epidemical Diſeaſes in Minorca*, 2*d Edition*, *page* 227, &c.

In *Fontani* filii cadavere aperto, Chirurgus obſervavit a principio coli ad finem uſque recti, plus quam 200 ulcera rotunda, mixta cum Apoſtematibus; quorum ulcerum aliqua corroſerant inteſtinum totum. Illis ulceribus inter-

ferrentibus fuit inſignita; et in medio uniuſcujuſque fere maculæ tunica villoſa eroſa fuit. Color vero hic macularum ater, non a gangrænâ vel ſphacelo, ſed a liquoribus aterrimis in telam cellu-

interjiciebantur portiones aliquæ inteſtinorum ſanæ et integræ. Vide *Jacob. Fontani Pract. lib.* iv. *cap.* 23.

Anno 1743, *L. Fraſer*, M. D. (in India Occidentali poſtea defunctus, juvenis optimus, & tunc Medicinæ ſtudioſus ſequentia obſervata, in ſectione cadaveris anatomicâ paucis antea diebus factâ mihi humaniſſime communicavit. Fœmina quædam 30 annos nata, die 22 vel 23 Dyſenteriæ mortua eſt.—Durante vitâ de torminibus lateris præcipue ſiniſtri conqueſta fuit, & veſiculas parvas numeroſas liquore male olente plenas dejecerat. Meſenterium & inteſtina omnia valde inflammata fuere, craſſa vero maxime; in cavo coli rectique inteſtini multæ adfuēre veſiculæ, quales ægrota, adhuc vivens, dejecerat; & tunicæ internæ horum inteſtinorum ſphacelatæ omnino apparuere. Veſiculas ſimiles in cadavere foeminae diarrhœa mortuae in Noſocomio *Sancti Georgii* ipſe vidi.

Dolœus ait, Inteſtina tam tenuia quam craſſa hoc in affectu affici audacter ſtatuimus, experientiâ confirmati. Sex enim cadaverum Dyſentericorum a nobis ſecta probarunt æque tenuia ac craſſa purulentis ſcatuiſſe tuberculis, quæ inde nigra & ſpacelata reperimus; inque horum uno pylorum ventriculi plane ſphacelatum & corroſum, qui patiens tamen vomitionibus magnis vexabatur & miſere convulſionibus vitam finiebat.—Duos exenteravi Dyſenteriâ defunctos, in quorum cadaveribus non ulcus, ſed totum inteſtinum rectum ſphacelatum inveni. Vidi *Johan. Dolœi Encyclopœdiæ, lib.* iii. *cap.* v. *De Dyſenteria.*

Charlton Wollaſton, M. D. vir optimus, paucis abhinc annis defunctus, amico ſuo *G. Baker*, quæ in ſectione duorum cadaverum nautarum Dyſenteriâ defunctorum obſervaverat, impertivit. In illis cadaveribus eadem aderat contractio inteſtini Coli et Recti, idemque morbus

cellulosam, inter tunicam villoſam, et fibra muſculoſas inteſtinorum, diffuſis ortum duxit —Eroſiones tunicæ villoſæ ſimiles in tenuibus inteſtinis nunquam vidi; ſed Chirurgus

bus tunicæ internæ villoſæ horum inteſtinorum, eademque tubercula fungoſa ac in cadaveribus a *Baker*, jám memoratis.—In inteſtino jejuno nautæ qui per ſex 7nas morbo laboraverat, intus ſuſceptio aderat ſed nulla ſigna inflammationis. Tunîca interna imæ partis inteſtini ilei quam maxime rubra, tunica autem externa nigerrima. —Inteſtinum cæcum aëre diſtentum. Colon vero et rectum mire contractum et tunica eorum villoſa, muco ſanguineo obducta; hoc muco ſpongio deterſo, tota hæc tunica referta fuit tuberculis; hinc rotundis, parvulis, rubris, inde latis fungoſis, eminentibus, quæ viſa ſunt conflari ex tuberculis quamplurimis, parvulis, in eminentiam unam fungoſam coëuntibus. Inter hæc tubercula pars quædam tunicæ villoſæ ſana fuit, et vidimus maculas quaſdam parvulas nigras, petechiis illis inter exanthemata varioloſa aliquando obſervatis, ſimillimas. Totum inteſtinum rectum, & pars ima Coli tuberculis hiſce rubris abundarunt, at nullas ibi maculas nigras vidi, per reliquam vero partem inteſtini Coli et tubercula rubra et maculas nigras hic illuc ſparſas: Veſicula fellis quam maxime turgida ac bile repleta, at coloris flavi oleoſi fuit.

Alter Nauta morbo per 21 dies laboraverat. Inteſtina tenuia illæſa fuere; craſſa vero magis corrupta et ſphacelata. Tubercula fungoſa viſa ſunt, at non adeo crebra, neque adeo lata aut alta ac in altero cadavere. Vide *G. Baker de Catarrho et Dyſenteria Londinenſi. A. D.* 1762. *p.* 42, &c.

‘ Inteſtina ſpeluncis innumeris minutiſſimis, occu‘ lorum aciem fere effugientibus, ſanie tamen refertis ‘ ſemper inquinata extitiſſe, militum in Noſocomiis caſ‘ trenſibus hoc morbo peremptorum ſectio mihi abun‘ de comprabavit.’ Vide Notas in *Richardi Mead Monita et Præcepta Medic. edit. a Cliſton Wintringham, Med. Regio, Equite*, &c. 1773. *Tom.* 1. *p.* 264.

ingeni-

ingenioſus (Ds. Glass) qui ad Indiam Orientalem navigaverat, et cui eroſiones inteſtinorum craſſorum oſtenderam, nuper mihi narravit, ſe multa cadavera Dyſentericorum ſecuiſſe, et ſemper inteſtina craſſa maculis nigris et eroſionibus diſtincta vidiſſe; et in uno aut altero, ubi morbus gravior fuerat, ſe partem inferiorem inteſtini Ilei eodem modo leviter affectam, et exulceratam inveniſſe.

In cadavere illo, in quo nullæ maculæ nigræ erant obſervandæ, eroſiones tamen aderant numeroſæ in tunicâ villoſâ inteſtini Coli atque Recti, illis quam ſimiles, quæ in medio macularum atrium aliorum Dyſentericorum obſervatæ fuerant; per quinquennium Phthiſi Dyſentericâ laboraverat hic ægrotus; & probabile videtur, liquores atros jam abſorptos fuiſſe; in Hepate abſceſſus erat pure plenus.

In uno aut altero cadavere, pars inferior tunicæ villoſæ Recti inteſtini tota fuit abraſa; & liquores atri in telam celluloſam, fibras muſculares conjungentem, diffuſi.

In duobus cadaveribus maculæ erant quædam nigræ in facie exteriori inteſtinorum, factæ ab liquoribus atris diffuſis in membranam cellularem ſitam ſub tunicâ, quæ inteſtina a Peritonœo habent, ſed nulla erat eroſio in macularum medio.

In uno cadavere, Colon inteſtinum Peritonæo adhæſit; & inter Peritonæum & inteſtinum

teſtinum ſaccus erat pure repletus.—In cadavere alterius hominis, qui ſymptomatibus inflammationis paucis ante mortem diebus correptus fuerat, inteſtina tenuia inflammatione rubeſcebant.—Et in alio maculæ liventes mortuæque ventriculum diſtinguebant.

Dyſenteria plerumque ſævire incipit ſub finem æſtatis, vel incipiente autumno; et dein menſe Octobris paulatim deſinit.

Ex multis et variis cauſis, ſed frequentiſſime ex ſequentibus originem ducit.—Ex victu pravo:—Ex vaporibus humidis putreſcentibus:—Ex obſtructâ perſpiratione, junctâ acrimoniâ putreſcente in ſanguine, in bile, vel in humoribus aliis gaſtricis, ab calore et motu ortâ.—Hinc morbus ille milites in caſtris, meſſores et operarios alios qui in agris æſtate atque autumno laborant, et qui calori ſolis, pluviis, alterniſque cæli mutationibus, et exhalationibus a terrâ per totam diem ſunt expoſiti, ac victu ſæpe pravo utuntur, frequentius multo, quam alios homines occupat. Et hinc eo ſemper magis frequens et gravior hic morbus eſt, quo tempeſtas magis calida atque humida; et quo magis a calore magno ad frigus ſubitum mutabilis; atque quo terra magis humida et paludoſa, ac aër halitibus a corporibus corruptis magis repletus.—Atque hæ ſunt cauſæ cur, in regionibus calidis, ubi terra humilis et paluſtris eſt, et corporibus corruptis atque putridis plena, Dyſenteria inter

inter milites in caſtris maximâ violentiâ ſævit *.

Experientiâ jam compertum eſt, fructus æſtivos falſe olim, pro Dyſenteriæ cauſâ, habitos fuiſſe; et a quibuſdam auctoribus aſſeritur, eos præſenti et ſævienti morbo aliquando in remedium ceſſiſſe †.

Epidemice

* Ex memoratis atque ſimilibus cauſis humores corporis humani acres, putreſcenteſque magis fiunt; et dein in ventriculi et inteſtinorum cavo congeſti, ibique acriores et putridi facti, nervoſque ſtimulantes, junctâ forte levi inteſtinorum inflammatione, et minutâ perſpiratione, fluxum humorum in inteſtinorum cavum augent, et tormina, dejectiones, aliaque Dyſenteriæ ſymptomata incitant.

† Jam olim *Alex. Trallianus* de Dyſenteria agens dixerat, eos, qui damaſcenis atque uvis libere veſcebantur, celeriter ad ſanitatem fuiſſe perductos. Lib. viii, p. 458.——*Hoffmannus* atque *Degnerus*, jam obſervaverant Dyſenteriam ſæpe inter populum graſſari antequam fructus comedi potuerunt; et quibuſdam in annis Dyſenterias nullas obſervandas eſſe, etiamſi fructus et olera abundanter provenerint.—Et *Degnerus* ita de fructibus differit: ‘ Tantum enim abſui, ut crederem, ab illis ‘ morbum contagioſum ortum aut oriturum, ut non ‘ ſolum ipſe illis toto contagii tempore, modice licet, ‘ uſus fuerim, ſed et fermentationem fructuum acidam ‘ contrariam judicarim fermentationi alcalinæ, ortæ a ‘ miaſmate bilioſo Dyſenterico; quid quod hiſtoriæ pro‘ ſtent, in Act. Nat. Cur. dec. 2, an. x, obſ. 192; ubi in ‘ Dyſenteriâ epidemicâ bilioſâ, contumaci, narratur uvas ‘ et muſtum extitiſſe optimum remedium antidyſenteri‘ cum, irritis omnibus aliis, illiſque ſolis multos a dy‘ ſenteriâ maxime defatigatos reſtitutos eſſe,” Vide, *J. H. Degneri, Hiſtor. Med. Dyſenteriæ, etc. an.* 1736, *pag.* 165.--*Tiſſot*, Fructus maturos, non ſolum, non cauſam eſſe Dyſenteriæ, ſed remedium ad eam ſanandam quam utile, aſſerit;

Epidemice aliquando inter populum graſſatur, et nec ætati nec ſexui parcit; viros pariter ac mulieres infantes, atque pueros opprimit; ſed homines jam memoratos tunc etiam præcipue vexat.

Inter morbos contagioſos hic numeratur; ſed quantum mihi videre contigit, non adeo contagioſus eſt, ac a multis creditur; niſi morbus malignior fuerit, vel multitudo ægrotantium in eodem loco, vel in conclavi nimis exiguo et minus perflato concluſa contagionem foveat *.

Hoc

afferit; et plurima exempla proſperi et ſalutaris fructuum uſus in hoc morbo refert.—Undecim homines Dyſenteriâ laborabant, novem fructus copioſe devorabant et convaluere; duo abſtinuerunt & morbo ſuccubuere.—Cohors militum in Galliâ meridionali, autumno tempore, Dyſenteriâ vexabatur; Præfecti ægrotos uvis veſci, et ſanos uvis pro cibo uti juſſerunt; poſt hoc, nullus miles mortuus, nec ullus morbo fuit correptus. Vide *Tiſſot Avis au Pueple ſur la ſante* § 320.—*J. Geo. Zimmerman*, medicus regius *Hannoveræ*, in tractatu de Dyſenteriâ a ſe edito refert, infantem octodecem menſes natum, Dyſenteriâ laborantem, uvis veſcendo ſanitati fuiſſe reſtitutum; et hominem generoſum alioſque qui fructus copioſe ederunt, convaluiſſe. Vide Dr. *Zimmerman's Treatiſe on the Dyſentery, Engliſh tranſlation*, 1771, *page* 88, &c.

* Morbus hic certe non ita contagioſus eſt, ac *Degnerus* aliique affirmarunt; bello enim Germanico præterito ubicunque ægroti mundi admodum ſervabantur, & in conclavibus magnis et bene perflatis tenebantur rariſſime Dyſenteria contagione propagata fuit. Et quotannis quidam Dyſenteriâ laborantes in Noſocomium Sancti *Georgii* admittuntur, nunquam vero ægrotos alios vel adminiſtrantes contagione affectos vidi.

Nihil

Hoc malum, quamprimum ac inceperit, curari debet; quo enim diutius neglectum eſt, eo ſanari difficilius plerumque evadit.

In eo curando, ægri quam mundi †, et in conclavi amplo, ſicco, et bene perflato, tenendi ſunt; et in alio conclavi dejicere debent; dejectioneſque alvinæ et putrida omnia alia quam citiſſime amovenda. Inflammationi et febri quamprimum occurrendum eſt;—primæ viæ libere purgandæ;——tormina et alia gravia ſymptomata lenienda, et viſcerum deinde robur reſtituendum eſt.

Dyſenteria, diverſis temporibus, diverſæ indolis eſt; aliquando enim morbus inflammatorius, interdum morbus quam putridus eſt *. Inflammationem inteſtinorum, vel acutam, vel putridam, ſemper plus minus ſibi comitem habet, et igitur in initio morbi vena ſecanda eſt.—Et ſi pulſus fortis atque ſanguis

† Nihil magis in hoc malo quam mundities ad bonæ valetudinis recurſum confert; cito ſordeſcunt ægroti & convenit frequentiſſime extremos artus, et interdum totum hominem aquâ calidâ lavari, et ſi vires ſinant expedit aliquando in balneum demitti; utileque eſt ægroti induſium, et lintea lecti veſtimenta ſæpe mutare.

* Morbus hic nunquam fere periculo vacat, mitior vero plerumque eſt in frigidis quam in calidis regionibus; in illis, ſymptomatibus frequentiſſime inflammatoriis, in his, ſæpe ſymptomatibus morbi putridi ſtipatur. In utriſque, morbus quibuſdam in temporibus lenis, in aliis vero gravior et periculoſiſſimus evadit; ſed in regionibus calidis majori plerumque violentiâ ſævit, majoreſque ſtrages edit, & obſervatur eos ſemper in majori periculo verſari, qui in maximo morbi metu ſunt.

ſpiſſus et inflammatorius ſit, ac ventris tormina urgeant, venæſectio repetenda, quouſque vires ſinant *; atque hoc modo, dum Dyſenteria rure inter populum graſſabatur, multos ſervatos novi; dum alii qui venæſectionem omiſerunt, morbo ſuccubuere.——Si vero ſanguis ſit ſolutus, atque debilitas ac languor, aliaque ſymptomata morbi putridi urgeant, ſanguis parcâ manu mittendus eſt; et rariſſime in hoc rerum ſtatu venæſectionem repetere expedit.

* Ex auctoritate *Hippocratis* et *Galeni*, et ex præjudicio falſo, ſanguinis miſſionem ſemper in morbis putridis nocere, invaluit olim opinio, ſanguinem alvo fluente non eſſe detrahendum. Experientiâ vero compertum eſt, venæſectionem plerumque, in Dyſenteriæ initio, utilem eſſe; & ubi morbus inflammatorius eſt, vel ubi ægrotus juvenis et robuſtus, atque febris et tormina urgent, repetitam ſanguinis miſſionem ſæpe neceſſariam; hocque remedium medici plerique hoc tempore probant. Vires vero, ætas, pulſus, ac conſtitutio et anni et ipſius ægrotantis modum ſtatuere debent.—De hac re optime diſſerit *Cl. Hoffmannus*, et ait, ‘ Verum ego multiplici ‘ doctus experientiâ ſtatuo, quod in ſubjectis plethoricis et dietæ vinoſæ adſuetis, ſi Dyſenteria cum febri ‘ continuâ corripiantur, omnino perquam ſit neceſſarium venam ab inito morbi ſecare. Nam vanus eſt ‘ metus, ſanguinis miſſione vires imminui; & cum non ‘ modo plerique Dyſentericorum ex inflammatione inteſtinorum moriantur; verum quod plethorici, ſi continuis infeſtentur febribus, non niſi ob nimiam ſanguinis ‘ molem ad ſtaſes, gangrænam et ſphacelum diſponentem, pereant; non certe convenientius in his periculis antevertendis venæſectione reperitur præſidium,” Vide, *Hoffman. Oper. Tom.* 3, *p.* 158, *ſect.* ii, *cap.* 7, ſ. 8.

Poſt

Poſt venæſectionem convenit plerumque vomitum elicere, et mirum ſane eſt quantum materiæ bilioſæ flavæ atque viridis vomitu aliquando ejicitur; et quantum inde levamen ægri ſentiunt.—Inter medicamenta quæ vomitum movent, radix Ipecacoana a multis in Dyſenteria laudatur, utileque certe remedium eſt; interdum tamen ventriculum non ſatis ſtimulat, ad materiem omnem bilioſam intus contentam evomendam; et hinc acriori medicamento opus eſt; et expedit grana duo, vel tria vel quatuor *tartari emetici* in aquâ ſoluta, vel ſcrupulo radicis Ipecacoanæ conjuncta, adhibere; * hæc enim remedia non ſolum ægrotum vomere faciunt; ſed et alvum plus minus ſolvunt; perſpirationemque promovent.

Poſt vomitum, alvus ab humoribus putridis et bilioſis purganda eſt; ut enim acris materia aſſidue in inteſtina profunditur, ita aſſidue quoque eandem emoliri oportet; et hinc medicamenta alvum ducentia, vel quotidie, vel alterno mane adhibenda; frequenti enim uſu medicamentorum hujuſmodi, et medicamentorum emeticorum, quando æger nauſeâ atque ſapore ingrato amaro in ore

* In India occidentali experientiâ inventum eſt, tartarum emeticum ad bilem evacuandam aliis plerumque medicamentis emeticis anteferendum; leniter ſat agit, biliſque ejectionem cæteris liberiorem promovet.—Ipecacoana tamen ſuos uſus habet.

vexatur, recurſus facilis ad bonam valetudinem plerumque fit.

Multa et varia medicamenta alvum moventia, in hoc morbo laudantur; ea vero, ut mihi videtur optima ſunt, quæ alvum libere et ſine moleſtiâ ducunt; et quæ vires non nimis exhauriunt.—Hinc decocta tamarindorum cum mannâ; tartarum ſolubile in emulſione amygdalina ſolutum; manna cum granis iv vel v tartari emetici in magnâ copiâ aquæ ſoluta, et parvis atque repetitis doſibus exhibita; ſal catharticum amarum per ſe in aqua ſolutum, vel oleo atque mannæ conjunctum; et aquæ purgantes minerales, reliquis medicamentis purgantibus anteferenda *; et

* *Geo. Monro, M. D.* et *Gulielmus Ruſſel*, qui cum Noſocomiis militaribus in America Septentrionali bello præterito aderant, mihi narrarunt, ſe ſolutionem tartari emetici cum mannâ ſequenti modo paratam, ſummo cum fructu in Dyſenteriis adhibuiſſe.

Recipe, *Mannæ optimæ* uncias duas, *tartari emetici* grana iv, ſolve in *aquæ puræ* bullientis unciis xvi. Coluturæ capiat æger uncias iv omni horâ dimidiâ, donec cietur vomitus vel laxetur alvus.

Et medicamentum hoc plerumque et vomitum elicuiſſe et alvum libere duxiſſe invenerunt.

Uſum *ſalis cathartici amari* aquâ ſoluti, in dyſenteriâ primus mihi humaniter communicavit anno 1757, *Franciſcus Ruſſell*, vir honeſtiſſimus et chirurgus militaris expertiſſimus; et optimo cum ſucceſſu, ego ipſe poſtea in Noſocomiis militaribus, mannæ et oleo conjunctum adhibui. Et experientiâ repetitâ comperi medicamentum hujuſmodi non ſolum in Dyſenteriâ, ſed etiam in diarrhœâ, et in colicâ pictonum, aliiſque in alvi doloribus multum prodeſſe.

Aquæ

et ex his forte ſal catharticum plerumque cæteris anteponendum. Sed hoc monendum habeo, quod idem remedium non æque omnibus conveniat; et aliquando unum aliquando alterum tentari debeat; et ubi vermes ejiciuntur, quod expediat grana quinque vel ſex mercurii ſublemati dulcis cum ſcrupulo radicis jalapii vel rhabarbari conjuncta adhibere *.

Protinus,

Aquæ ſalſæ minerales purgantes *montis catini*, confinis *piſtorio* in Hetruria oppido, ex ſcatebris balneoli et tetucii a *Fallopio* & *Baccio* ad ſanandas Dyſenterias jam olim celebratæ fuere.—Per alvum utræque ebibitæ dejiciunt, et per urinas; aqua balneoli minus eſt ſalſa ac in potu minus purgando efficax quam aqua fontis tetucii.—*Baccius* ait, 'Uſus earum hodie celebris eſt in Dyſentericis, quos mirifice ſanant, etiamſi nomæ inteſtina corroſerint, ebibitæ ſingulis diebus a librâ ad tripondium, pro tolerantiâ patientis.—Ut vere ipſas cælitus in ſalutem hominum deſtinatas eſſe credendum ſit, cum ferme homines ex acerrimâ Dyſenteriâ, jamjam exhauſto cum ſanguine ſpiritu, revocent ad vitam'. *Baccius de Thermis, lib.* v. *pag.* 159.—*Sic Fallopius*, 'Aqua etiam illa balneoli ſum ego uſus, et expertus in Dyſenteriis ulceribuſque inteſtinorum, et eſt remedium ita præſtans ut præſtantius repiriri non poſſit. Exhibebam ſex vel octo cyathos, et feliciſſimo cum ſucceſſu. Ad eundem effectum optima quoque eſt aqua tetutii; verum cum ſit robuſtior, in minori quantitate eſt exhibenda.' *Gab. Fallopii, &c. de aquis medicatis, &c. tractat. fol.* 82. *Edit. Venetiis* 1563, multæ aquæ minerales ſalibus impregnatæ in Anglia repertæ eidem uſui inſervire poſſunt.

* Præter memorata, multa alia medicamenta ad alvum ſolvendam in Dyſenteriâ laudata fuere.

Pulvis *radicis rhabarbari*, paucis abhinc annis a drachmâ dimidiâ ad drachmam unam vulgo fuit adhibitus,

Protinus, ubi morbus ille incipit aquæ tepidæ, vel liquoris alii mitis diluentis plurimum bibere oportet; corruptæ enim miſcuiſſe novam materiam prodeſt; ægrotique

bitus; in Dyſenteriæ tamen initio plerumque alvum non ſatis facile, ac libere, ducit; provecto vero morbo, utile ſæpe fit remedium; æque ac tinctura ſive infuſio ejus aquoſa; et de tincturâ hâc rhabarbari aquoſâ obſervare liceat, hanc ſæpe alvum liberius et majori cum facilitate purgare, quam radix ipſa pulvere adhibita.

Radix *ipecacoana*, largâ doſi ad vomitum ciendum adhibita, atque a *Piſone* pro ſpecifico Antidyſenterico remedio habita, a nuperis quibuſdam, parvis et repetitis doſibus, a gr. i, ad gr. vi, 4tâ vel 6tâ quaque horâ ad alvum purgandam, in Dyſenteriâ fuit data. Sed minores illæ doſes minus efficaces; et majores nauſeam et vomitionem tam iteratam plerumque incitant, ut ægrotis perſuadere in hujus remedii uſu perſeverare difficile ſit. Rhabarbari parti æquali conjuncta libere magis et facilius alvum ducit, ſed tunc etiam nauſeam ſæpe movet.

Triginta ab hinc annis *vitrum ceratum antimonii* ad gr. vi vel x adhibitum, pro remedio in hoc morbo utili laudatum, potenter plerumque et vomitum elicit et alvum purgat; et robuſtioribus profuiſſe vidi; nimis vero violenter interdum agit, vireſque exhaurit; et igitur rarius nunc Dyſentericis exhibetur. Attamen, Cl. *Geo. Zimmerman* aſſerit, quod ſi optime in mortario teratur cum parte æquali pulveris radicis Altheæ, et ægrotus copioſe jus avenaceum ſimul cum vitro cerato antimonii haureat, hoc mite et utile fieri remedium.

Et experientiâ compertum eſt grana xx vel xxx pulveris radicis jalapii, optime cum gr. x ſalis nitri trita, leniter ſæpe agere et ſat potenter alvum ducere.

De purgantibus obſervare ſolummodo reſtat, quod licet ea, quæ alvum potenter et facile ducunt, ægroti ſaluti in initio quam neceſſaria ſint, acriora tamen et draſtica medicamenta *aloes*, *colocynthis*, &c. minime utenda, ſpaſmos enim et tormina augendo plerumque nocent:

quam-

quamplurimi uſu fere ſolo talium liquorum ſanitati reſtituti fuere*; progrediente vero morbo interdum liquores magis demulcentes et mucilaginoſi proſunt, quales ſunt *emulſiones amygdalarum*, vel *e Cerâ*, *decoctum Oryzæ*, vel *aqua hordeata* in quâ *gummi Arabicum*, vel *gummi Tragacanthum* ſolutum eſt; vel liquores alii hujuſmodi, qui diluendo et acrimoniam humorum obtundendo tormina

* Nulli morbo potus copioſus tenuis magis quam Dyſenteriæ prodeſt; hoc quotidiana experientia monſtrat, et teſtimonia medicorum optimorum firmant.—*Baglivius* ait, ſe ſæpiſſime Dyſenterias profligaſſe ſolo ſero lactis intus dato, et per clyſteres quoque injecto; multoſque auctores pro magno ſecreto habuiſſe hoc remedium in Dyſentericis. Vide *Balglivii Prax. Med. lib.* i, *cap.* 9.— Anno 1634, quando Dyſenteria graviter inter populum Weſtphaliae graſſabatur, ruſtici lacte cum aquâ fontanâ mixto, vel ſero lactis per totum morbi decurſum non ſine ſingulari fructu utebantur.——Et Anno 1726, cum hic et in vicinis urbibus, maxime *Altenburgi*, ſæviter Dyſenteria, quâ multi perierunt, graſſaretur, ipſi ruſtici, ſpretis omnibus pharmaceuticis, quæ maximâ ex parte erant calidiora, ſero lactis item lacte ebutyrato per totum morbi decurſum utebantur; et præ aliis feliciſſime evaſerunt. Vide *Hoffman. oper. tom.* iii. *ſect.* 2. *cap.* vii. *obſ.* 6, *pag.* 162.——Et Cel. *Huxham* dicit, In hâc utique (Dyſenteriâ nempe,) pura puta aqua fontana haud parum pauperculos juvabat,—inter initia egelidam ſuadeo, quippe quæ et inteſtina eluat melius, et per meſeraica vaſa et lactea ad ſanguinem diluendum tranſit facilius; cum vero elota ſit acris viſcerum colluvies, ea ſane firmanda ſunt, adeoque tunc haud perperam exhibetur frigida,—hâc ſolâ utique, opii paucillo adjecto, nonnunquam Dyſenteriæ curationem conſummavi, probe purgatis prius inteſtinis. Vide *Huxham obſ. de aëre et morbis epidemicis, vol.* ii. *p.* 106, *etc.*

leniunt.

leniunt.--Et ſi acidum in ventriculo moleſtum ſit, convenit aliquando pulverem cretæ, vel corn. cervi calcinati, gummi ſolutionibus addere.

Ab initio ad finem uſque hujus morbi, cibus ex leviſſimâ naturâ, et concoctu facillimâ eſſe debet; ex pane, *ſalab*, *ſago*, *oryza*, *hordeove* confectus *; nec nocet jus tenue ex pullis, vel ex carne ovinâ vel bovinâ paratum, præcipue cum febris jam ceſſaverit, ac convaleſcens fuerit ægrotus.

Si ventris tormina in morbi initio urgeant, ea lenienda ſunt potu tenui copioſo; liquoribus diluentibus, emulcentibus per anum injectis; fomentis tam humidis quam ſiccis

* De fructuum uſu, in hoc morbo, nihil ab experientiâ propriâ dicendum habeo; ſed certe operæ pretium eſt hoc remedium iterum, iterumque, tentare, et nos certiores facere, quæ fructuum genera, et quo tempore morbi, et quibus in caſibus uti debent. Si mihi conjectare liceat, crediderem, moderatam fructuum maturorum comeſturam homines ab hoc malo ſæpe conſervaturam; et in ipſo morbo, fructus præcipue in initio poſt alvum purgatam utiles fore, ex naturâ enim ſumme antiſeptica et laxante ſunt. Idemque dici poſſit de liquoribus aquoſis ſucco Citri vel fructu tamarindorum aciduli factis.--Attamen de fructuum uſu monendum eſt, quod interdum ipſe viderim morbum hunc in convaleſcentibus recidivum, fructus intempeſtive et libere comedendo; et quod practici quidam optimi mihi narraverint, ſe in regionibus calidis obſervaſſe, liberum nimis fructuum et liquorum acidulorum uſum inteſtina aliquando nimis laxa, alvique fluxibus et torminibus obnoxia reddidiſſe.

ventri

ventri admotis; et balneis ſi tormina graviora fiant; primis enim diebus, dum febris adhuc hominem excruciat, et ventriculus ac inteſtina putridis atque bilioſis humoribus replentur, auctor ſum, ut uſus opii omittatur, evacuationem enim humorum putridorum cohibendo, magis tunc nocere quam prodeſſe obſervatur.

Poſt dies decem vel duodecem cum febris jam ceſſaverit, et alvus libere evacuata fuerit, medicamenta alvum ducentia minus frequenter adminiſtranda, et temporibus intermediis opium exhibere expedit, ad dolorem excruciantem leniendum, ſomnumque atque requiem ægris conciliandum; et cum tormina graviora urgent, magis ſæpe proficit opium ex partibus inferioribus infuſum, quam per os ſumptum *.

Et ſi dejectiones tunc nimis profuſæ fuerint, convenit medicamenta leniter adſtringentia opio conjungere; qualia ſunt *julepum e Cretâ*, *electarium e ſcordio*, *tinctura Japonica*, *decoctum ligni campechenſis*, *decoctum radicis Simarubæ*, *infuſum corticis granatorum* †, &c.—Attamen obſervandum eſt, quod opium

* Multa exempla hujuſmodi vidi, ubi opiata enematibus ex amylo, vel clyſteribus cum decocto Corticis Peruviani et electuario e ſcordio, vel aliis lenioribus adſtringentibus miſta, magis profuere, quam per os ſumpta.

† Cortex *rad. Simarubæ*, et in pulvere et in decocto ad Dyſenteriam ſanandam laudatur; in *Memoires de l'academie*

opium et medicamenta adſtringentia nunquam eâ quantitate adhibere debeant, ut evacuationem humorum putridorum cohibeant; ſed eâ tantum, ut dolorem leniant; et profuſas nimias dejectiones reſtringant. Si Dyſenteria valde ſit cruenta et ſinceri ſanguinis plurimum dejiciatur, tinctura roſarum probe acidula juvat, aut vinum rubrum auſterum dilucius, ſi inteſtina ea facile ferant.

Quibuſdam ægrotis quorum cutis arida et minus perſpirabilis eſt, medicamenta diaphoretica, opio miſta, proſunt; et interdum balneum ſi vires ſinant et nullum aliud ſymptoma id vetet*; aliis Cortex Peruvianus

demie des ſciences, 1729, et in *Degneri hiſt. Dyſenteriæ Anni* 1736, Nec præſtantius comperi remedium in diarrhœis et Dyſenteriis quibuſdam chronicis quam decoctum Corticis R. Simarubæ, cum parva quantitate tincturæ cinnamoni, et guttulis paucis tincturæ thebaicæ mixtum.

Radix *caſcarillæ* ſeu *eleutheriæ* in Dyſenteriâ quæ epidemice inter populum graſſabatur, Anno 1718, profuiſſe dicitur, in *mem. de l'academie des ſciences*, 1719.

Cort. *Coneſſi* pulveratus cum ſyrupo e cortice aurantiorum in formam electarii paratus et ad drachmam dimidiam quater quotidie ſumptus Dyſenteriam quæ jam per tres menſes duraverat profligavit. *Medical Eſſays*, *vol.* iii, *art.* 4.

Degnerus ſuccum adſtringentem catechu in hoc morbo profuiſſe narrat. Vide *Hiſt. Dyſent. &c. p.* 223.

J. Grainger cauſm militis cujuſdam memorat qui per annum et ultra Dyſenteriâ graviori laboraverat, et a morbo tandem liberatus fuit, bibendo quotidie a lib. i, ad lib. iii. aquæ calcis, cum parte tertiâ lactis recentis mixti. Vide *Edin. phyſic and literary obſerv. vol.* ii, *art.* 14.

* Prodeſt interdum in hoc morbo ſudorem elicere medicamentorum diaphoreticorum mitiorum ope, qualia ſunt;

vianus opio, vel electario e ſcordio, conjunctus.

Et monendum eſt, morbum hunc ſæpe febri putridæ comitem eſſe; et interdum formam morbi intermittentis habere; ac tunc eodem fere modo ac morbi illi curari debet; et in utroque caſu Corticem Peruvianum, et per os ſumptum, et per anum immiſſum, morbum ſæpe profligaſſe †.

Pro-

ſunt; ſpiritus mindereri guttulis paucis tincturæ thebaicæ, vel parva quantitate theriacæ, vel mithridatii, miſtus.—Vinum antimoniale parti quartæ tincturæ thebaicæ conjunctum—.Pulvis Doveri,——camphora cum nitro et opiatis miſtus. &c. quæ omnia parvis et repetitis doſibus ſumi debent cum potus alicujus idonei tepidi quantitate ſufficiente.

† Provecto jam morbo, prodeſt aliquando Cortex Peruvianus cum parvâ quantitate electuarii e ſcordio, vel tincturæ thebaicæ additâ, repetitis doſibus quotidie ſumptus, vel per anum infuſus; cujus exempla memoravi in libro a me edito, dicto, *An account of the diſeaſes which were moſt frequent in the Britiſh military hoſpitals in Germany, &c.*——Et ingenioſus *R. Whytt*, proff. Edin. in pravo illo Dyſenteriæ ſtatu, cum in ore, et in primis viis aphthæ mox apparituræ eſſent, vel jam apparuiſſent decoctum Corticis Peruviani, cum confectione Japonicâ Ph. Edin. feliciter adhibuit.

Attamen obſervare eſt, quod rarius in primo Dyſenteriæ gradu Cortex Peruvianus conveniat; cortex enim tunc plerumque non ſolum morbum non levat, ſed tormina aliaque ſymptomata moleſta auget; niſi morbus febri petechiali putridæ, vel febri intermittenti conjunctus ſit, quando mire interdum prodeſt remedium hoc nobile, Cortex Peruvianus.—Dum in Germania, Annis 1760,—1,—2, cum exercitu aderam, Dyſenteria in febribus petechialibus ſymptomatica ſæpe apparebat, et tunc purgatâ alvo, Corticem Peruvianum lenioribus adſtrin-

 gentibus

Progrediente morbo, ſi tormina ventris urgeant, prodeſt ex inferioribus partibus mucilaginem ex amylo, vel aquam in quâ lini ſemen decoctum eſt, vel juſculum adipoſum, vel lac, vel oleum, vel liquores emulcentes, cum opio mixtos infundere; fomenta et cataplaſmata ſupra ventrem imponere; et aliquando alvum ducere.—Et interdum ſi dolor

gentibus et opio conjunctum feliciter ſæpe propinandum adhibui.

Et caſum unum aut alterum mihi curare contigit, ubi et febris et Dyſenteria intermittents fuit, atque utræque liberiore Corticis Peruviani uſu profligatæ fuerunt. Et Corticem Peruviannm æque in Dyſenteria intermittens, &c. Anno 1666, profuiſſe narrat, *R. Morton.* Vide *Append. ad Exercit.* 2*dam de febribus ab An.* 1658, *ad* 1691.

Ingenioſus vir *Joannes Hume*, curator ad res ſauciorum et ægrotantium claſſis Britanniæ agendas, mihi narravit, quod Anno 1759, dum chirurgus ad navem bellicam (*the Newark* dictam,) in mare Mediterraneo eſſet, Dyſenteria intermittens, cum febre, inter nautas graſſaretur; tormina atque ſitis quotidie ad meridiem exacerbabantur, dejectioneſque magis frequentes erant; circa vero horam quartam vel ſextam, veſpere, mitiora, et mane ſequenti mitiſſima fiebant ſymptomata; ægrotique tunc torminum expertes erant. Hoc obſervato, poſt alvum ductam, Corticem Peruvianum liberâ manu, horis inter exacerbationes mediis, propinandum dedit; et rediente paroxyſmo remedia communia Antidyſenterica, atque opium dein h. s. adhibuit; ægrotique plerique hoc modo ſanitati reſtituti fuere. Attamen, licet hoc anno Cortex Peruvianus tam bonos ederit effectus, non æque aliis annis ubi nulla ſymptomata morbi intermittentis adfuere, Corticem Peruvianum profuiſſe obſervavit; aliquando tantum, et rarius, uſui fuit.

vehemens

vehemens fuerit cum ſignis novæ inflammationis convenit venam ſecare, ſi vires ſinant, et emplaſtrum veſicatorium ventri applicare.

Si vetuſtior fuerit morbus, et ſuſpicio ſit tunicam villoſam coli atque recti inteſtini jam eroſam eſſe, periculoſiſſimus evadit morbus †, eaque tunc medendi methodus optima eſt, quæ febri hecticæ et membranis exulceratis ſanandis prodeſt.

Cibus eſſe debet e leviſſimâ materiâ, concoctuque quam facillimus, ex vegetabilibus memoratis, lacteque præcipue paratus; potuſque qualis in ſecundo morbi gradu commendatus fuit.

Medicamenta quæ magis plerumque proſunt, ſunt, Cortex Peruvianus, medicamenta leniter adſtringentia, opium, balſamum locatelli, vel balſama alia in vitello ovi ſoluta, &c. repetitis doſibus quotidie ſumpta; vel ſi dolor in ano aut teneſmus urgeat ex inferioribus partibus infuſa; quibus ſi quando ægrotus nauſeâ vel torminibus vexetur, intercalari debent medicamenta mitiora emetica, vel

† Eroſâ tunicâ villoſâ, morbidiſque factis inteſtinis, imprimis craſſis, febris hectica oritur chyluſque, et recrementa etiam mitiſſima, nimis inteſtina ſtimulant, diarrhœamque fere perpetuam incitant; quæ interdum ægros trahit, interdum præcipitat, paucique admodum ad bonam valetudinem recurrunt; et qui convaleſcunt diu plerumque magnâ inteſtinorum lævitate laborant, diuque in rigidiſſimo et medicinæ et victus regimine, perſeverare debent.

laxativa, vel enemata ad humores acres evacuandos.

Frigus atque humor omnis, qui perſpirationem impedit alienus; atque aër purus, et exercitatio ægri viribus accommodata utilis eſt.

Solum hoc ulterius de Dyſenteriâ obſervandum habeo, quod ex hoc morbo convaleſcentes diu ſummam victus rationem ac modum habere debent; et paulatim tantum, omiſſis legibus memoratis, eo tranſire ut arbitrio ſuo vivant; ſi enim morbus vehemens fuerit, vel diu continuaverit, inteſtina per longum ſatis tempus debilia, ac infirma manent, faciliſque in morbum recurſus eſt.

ORATIO

ORATIO ANNIVERSARIA

I N

THEATRO COLLEGII REGII MEDICORUM

LONDINENSIUM,

E X

HARVEII INSTITUTO;

HABITA, A. D. 1775.

Die 18vâ, Octobris.

ORATIO ANNIVERSARIA HARVEIANA.

PRÆSES COLENDISSIME,

ET

AUDITORES HONORATISSIMI,

NEMINI veſtrum ignotum eſt, quod hodie, annuo more, ex inſtituto et auctoritate Illuſtriſſimi HARVEII, differendum ſit de Sociis hujus Collegii celeberrimis, qui id vel ingenio, vel munificentiâ, ornarunt.

Ipſe HARVEIUS commendabat memoriam eorum, orabatque, ut eos ab injuriâ oblivionis aſſereremus; non ſolum, ut eorum præclara facinora omnibus ſucceſſoribus ſuis quotannis nota ſint; ſed ut illi, ad eorum exemplum, Reipublicæ benefacere niterentur.

Credo ego, Auditores Digniſſimi, vos mirari, quid ſit, quod cum tot ſummi oratores, hominesſque eruditi ſedeant, ego hodie potiſſimum ſurrexerim, ad laudes virorum tam

bene a vobis meritorum celebrandas, qui neque ingenio, neque auctoritate ſum cum iis qui ſedeant comparandus; ſed memineritis me, non ſponte et ambitioſe, in hoc opus irruiſſe, ſed juſſum adeſſe; et ingratus equidem forem, tam nupere unanimi ſuffragio in ſociorum numerum cooptatus *, ſi, quod a Colendiſſimo Præſide mihi demandatum erat, detractarem.—Benigne igitur accipite, quæ grato animo, licet non a ſummo oratore, dicenda.

Difficile quidem videtur, Auditores ornatiſſimi, novum aliquid in medium proferre de majoribus noſtris illuſtribus, quorum laudes quotannis, per tot annos, et a tam multis et tam facundis oratoribus jam celebratæ fuerant.

Cæterum, aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nullum unquam Medicinæ Collegium, nec majus, nec ſanctius, nec bonis exemplis ditius fuit.——Eo igitur libentius in concionem prodeo, utpote dicturus de viris qui mihi vixiſſe, atque fructos fuiſſe animâ videntur; et qui præclari facinoris, atque artis bonæ famam quæſiverunt; et equidem nihil honeſtius, nihil utilius eſt,

* Menſe Septembris, A. D. 1771, me inſcio, in ſociorum numerum unanimi ſociorum ſuffragio cooptatus fui.

quam

quam majorum famam conſervare, et ex patrum commemoratione, filiorum virtutes elicere.

Ante conditum hoc Medicorum Collegium, humilis fuit artis noſtræ conditio, per totam Britanniæ inſulam.——Everſo enim imperio Romano, ſtudia humanitatis ac literarum per octingenti et ultra annos a noſtrâ Europæ parte Occidentali in exilium relegari videbantur; donec, urbe Conſtantinopoli a Turcis captâ, Græci quidem docti, Barbarorum laſcivientem inſaniam fugâ evitantes, literas bonas et medicinam veterum, ſecum iterum in Italiam deportarunt.—Tardius vero in hâc noſtrâ inſulâ lampas literarum atque ſcientiæ effulgere incepit; ad initium enim ſæculi decimi ſexti, medicina rudis adhuc et inculta jacebat; aut in monachorum clauſtris recondita fuit; et Monachi indocti, circumforanei, agyrtæ, vel alii quique illiterati, ac inculti, Epiſcoporum permiſſu, medicinam fere ſoli excercebant.

Tandem vero *Joannes Chambre*, *Thomas Linacre*, et *Ferdinandus de Victoria*, Medici ad Regem *Henricum* ſui nominis Octavum, viri ſagaciſſimi et eruditi, una cum tribus aliis medicis, *Nicholao Halſewell*, *Joanne Franciſco*, et *Roberto Yaxley* *, indigne ferentes,

* Ut res ita ſe habet, apparet ex literis patentibus.—
' Itaque partim bene inſtitutarum civitatum in Italia, et in
' aliis

rentes, quod ars, quæ ſanitatem ægris promittit, in humani generis perniciem converteretur, inter ſeipſos conſulere incipiebant, quomodo effrænata hæc nocendi licentia reprimeretur; et ſtatuerunt hoc optime fieri poſſe, ſi ſelecti forent judices, qui omnes medicinam exercituros examinarent, et periculum facerent an ad hoc munus idonei eſſent: et ut hoc fieret, Regio favore, et auxilio Cardinalis *Wolſæi*, literas patentes a Rege, *S*enatus-conſulto confirmatas, obtinuerunt; quibus Medicorum Societas legalis in hac urbe conſtituta eſt*; atque harum auctoritate Societas

hæc,

'aliis multis nationibus exemplum imitati, partim gra-'vium virorum Doctorum, *Joannis Chambre*, *Thomæ* '*Linacre*, *Ferdinandi de Victoria*, medicorum noſtrorum, '*Nicholai Halſewell*, *Joannis Franciſci*, et *Roberti Yaxley*, 'medicorum, ac præcipue Reverendiſſimi in Chriſto Pa-'tris ac domini, Domini *Thomæ* tituli Sanctae Ceciliae 'trans Tiberim ſacroſanctae Romanæ Eccleſiae Preſby-'teri cardinalis, Eboracenſis Archiepiſcopi, et regni noſtri 'Angliæ cancellarii chariſſimi precibus inclinati, Colle-'gium perpetuum Doctorum, et gravium virorum, qui 'medicinam in urbe noſtrâ Londino et Suburbiis, intra-'que ſeptem millia paſſuum ab ea urbe quaquaverſus 'publice exerceant inſtitui volumus atque imperamus, *etc.*'

* Per literas patentes jam citatas apparet, ſex jam memoratos medicos, et medicos omnes alios, Londini tunc degentes, ſocios primos Collegii noſtri conſtitutos eſſe.

'Quae quo facilius rite peragi poſſint, memoratis 'Doctoribus, *Joanni Chambre*, *Thomæ Linacre*, *Ferdi-*'*nando de Victoria*, Medicis noſtris, *Nicholao Halſewell*, *Jo-*

anni

hæc, ſive Collegium in communitatem redactum, ſingulos quoſque ad Medicinæ Praxin admittendi, et præſcriptorum formulas inſpiciendi jus unicum poſſidet.

Inter conditores Reipublicæ noſtræ illuſtris *Linacre* princeps fuit; Cantuariæ is natus eſt, et literis primo a doctiſſimo *Sellingo* inſtructus Oxonium petiit, ubi (A. D. 1484,) in Collegii Omnium Animarum ſocietatem cooptatus eſt. Et dein animam peregrinatione ulterius excolendi cupidus, in Italiam, tunc temporis doctrinæ literaturæque domicilium, migravit; et cum ex optimorum Profeſſorum prælectionibus, et ex familiari conſuetudine doctiſſimorum virorum, qui huc undique confluxerant, in linguis elegantiam, et in medicinâ et artibus politioribus ſcientiam acquiſiverat, in patriam redux Oxonium iterum adiit; gradumque Medicinæ Doctoris conſecutus, Profeſſor Medicinæ ibidem conſtitutus eſt.

Cito vero in literis, et in arte medicâ ita eminuit, ut a Rege *Henrico* Septimo delectus ſit, qui *Arthuri* principis et ſaluti, et inſtitutioni præficeretur; et ipſius denique Regis,

' *anni Franciſco*, et *Roberto Yaxley*, medicis conceſſimus,
' quod ipſi, omnes homines ejuſdem facultatis, de et
' in praedicta civitate ſunt in re et nomine unum corpus,
' et communitas perpetua, ſive Collegium perpetuum,
' *etc.*'

et

et poſtea filii ejus *Henrici* Octavi, ſaluti fauſte invigilavit.

Cumque diplomate regio ſodalitium ex medicis, qui virtute et doctrinâ, præ cæteris pollebant, conſtitutum erat, ipſe unanimi ſociorum ſuffragio Præſes primus electus fuit; et in eodem ampliſſimo dignitatis gradu, per ſeptem annos, ad mortem uſque permanebat; eoque tempore ſtatuta optima, legeſque pro adminiſtratione Collegii condidit; et ad medicinam excolendam ſummopere intentus plures *Galeni* tractatus Latine reddidit *. Prælectiones *Oxonii* duas, *Cantabrigiæ* unam inſtituit, et honeſtis ſtipendiis cavebat ne deeſſent, qui *Hippocratem* et *Galenum* elucidarent.

Tandem *Linacre*, literarum atque doctrinæ ſui temporis decus et tutamen, de Rege, de Patriâ, de humano genere bene meritus, vitam quam integerrime egerat, pietate maximâ clauſit, (die 20 Octobris, A. D. 1524,) et moriens domum ſuam in qua cœtus, dum

* Latine reddidit *Galeni* Libros,—*De Inæquali Temperamento:*—*De Temperamentis:*—*De Naturalibus Facultatibus:*—*De Sanitate tuenda:*--*De Pulſuum Uſu:*--*De Methodo Medendi:* De quibus *Eraſmus* in literis ita ſcripſit amico; ‘ Mitto tibi libros *Galeni* opera *Thomæ Linacre*, melius ‘ Latine loquentes, quam antea Graece loquebantur.’

Scripſit etiam *Rudimenta Grammatica Linguæ Latinæ*,—et librum *De emendata ſtructurâ Latini Sermonis*, multi penſi apud doctos.

ipſe

ipſe vixerat, congregati fuerant, communitati noſtræ legavit.

Linacro fatis functo, plurimi doctrinâ inclaruere viri, hujus Collegii ſocii; quales ſunt *Richardus Bartlot*, Caii patronus.—*Gulielmus Butte* in annalibus noſtris deſignatus, vir gravis eximiâ literarum cognitione, ſingulari judicio, et prudenti conſilio Doctor.—*Gulielmus Freeman* qui inſigne gentilitium Collegii a *Joanne Barker*, armorum Rege, impetravit.—*Georgius Owen*, medicus regius, atque alii.

Haud longo vero poſt tempore, celeberrimum *Linacrum* ſecutus eſt *Joannes Caius*, alterum medicinæ lumen, et *Linacri* famæ æmulus.

Is *Nordovici* natus (die 6ta Octobris, A. D. 1506) Collegii Gonvillenſis Cantabrigiæ alumnus, *Linacri* exemplo Italiam petiit; ibique cum mentem doctrinâ atque præclaris artibus excoluerat, Patavii Doctoratûs lauro inſignitus, Græcas literas per quatuor annos, adjuncto Collega *Realdo Columbo* publice docuit.—Et tempore, quo vitam in hâc celebri academiâ degebat, ſtudio Anatomiæ quam ſedulo ſe dedit; ac ex conſuetudine familiari Collegæ *Realdi Columbi*, celeberrimique contubernalis *Andreæ Veſalii*, peritiam haud vulgarem in re anatomicâ acquiſivit.

A. D.

(A. D. 1544) In patriam reverſus medicinam atque rempublicam literarum ſcriptis * ornavit; et cum in interioribus partibus, et dolores, et morborum varia genera naſcantur, neminem putavit his adhibere poſſe remedia, quas ipſe ignoret; neceſſarium ergo eſſe incidere corpora mortuorum, eorumque muſculos, nervos, vaſa, viſcera atque inteſtina ſcrutari; ſtructuram igitur corporis humani, *Londini* tunc fere incognitam, in cadaveribus nocentium quotannis, in aulâ Chirurgorum †,

* Vir eruditiſſimus in eruendis veterum codicibus felix et indefeſſus erat.—*Galeni librum de Muſculorum Diſſectione*, cum Commentario, adjunctum *Libris de Adminiſtrationibus Anatomicis*, edidit Baſil. 1544.——Librum 1m De Decretis *Hippocratis* et *Platonis*; librum *Hippocratis* de Pharmacis——Fragmentum lib. vii. *Galeni* de Uſu Partium; fragmentum quod deerat libri de Ptiſana, et alia monumenta veterum oblivioni eripuit.——*Cornelium Celſum* valde corruptum repurgavit; additis argumentis et ſcholiis, una cum librarum ac ponderum *Celſi* ratione.

Praeter Commentaria et Verſiones Dr. *Carolus Goodall* dat catalogum ſequentem operum *Caii :—De medendi methodo:—De Ephemera Britannicâ:—De Antiquitate Cantabrigiæ:—De Canibus Britannicis:—De Rariorum Animalium et Stirpium Hiſtoriâ:—De Thermis Britannicis:—De Libris Galeni qui non extant:—De antiquis Britanniæ Urbibus;—De pronunciatione Grecæ et Latinæ Linguæ:—De Annalibus Collegii Gonvilli et Caii.*

† Hoc *Caii* exemplo factum eſt, ut per plurimos annos, prælectiones anatomicae a medico aliquo ad id munus conſtituto, apud chirurgos haberentur.-Et ex annalibus Collegii Medicorum apparet quod, ab A. D. 1569, Prælectiones Anatomicæ quotannis in Theatro etiam Collegii habitæ fuerent a Socio quodam, prælectore ſingulis annis electo.

per

per viginti annos, indefeſſus publice monſtravit; ac ita medicinam, et chirurgiam, in hâc urbe, novo quaſi lumine illuſtravit, et firmâ baſi nitentes poſuit.—Facinus præclarum, omni laude dignum; et gratias de ſeris nepotibus bene meritum.

Caius in Collegii Medicorum numerum (A. D. 1547) cooptatus, domicilium, et ſedes a *Linacro* acceptas ulterius, ornare ſtuduit:—dignitatis et auctoritatis inſignia addidit:—annales Collegii primus conſcripſit: — ſtatutis emendavit, et Rempublicam hanc naſcentem moribus ornavit, auctoritate ſuſtinuit.—Cumque jam ad ſummum medicinalis famæ, atque honoris apicem, et in Aulâ Regiâ, et in Medicorum Collegio *, perveniſſet, infirmâ valetudine tentatus Cantabrigiam ſe contulit; omnibuſque carus ſummoque honore habitus, humano generi amicus, nobis amiciſſimus, ſupremam obiit diem (A. D. 1573) intra ipſa Collegii mœnia, cujus fuerat alumnus, alterque quaſi conditor; quodque ex illo *Gonvillo - Caienſe* nominatum eſt.

Brevi temporis intervallo literis, atque artibus politioribus claruit *Richardus Cald-*

* Medicus fuit Regis *Edwardi* VI. et *Mariæ*, et *Elizabethæ* Reginae;—et Praeſes Collegii Regii Medicorum, per ſeptem et ultra annos.

wall, *Elizabethæ* Reginæ Medicus, qui (A. D. 1570) una cum *Joanne*, Barone nobili de *Lumleio*, lectionem chirurgicam in hoc noſtro Collegio inſtituit, et honeſto ſtipendio † ditavit. Laudabile opus, et eo magis laudibus noſtris dignum, quod in hac ipſâ lectione illuſtriſſimus *Harveius* inventum ſuum de Sanguinis Circuitu Sociis primo aperuit.

Nec minus laudandus ſagax atque eruditus *Theodorus Goulſton* *, qui Prælectiones Pathologicas, anatomicâ cadaverum adminiſtratione illuſtrandas, condidit.

Et *Goulſtoni* æquævus, *Theodorus Mayerne* Regis *Jacobi* & *Caroli* Primi Archiater ‡, me-

† Stipendium 40 Librarum nummi Anglicani.

* Collegio dedit 200 libras nummi Anglicani fenọ locandas pro ſtipendio annuo.—Opera ſua quæ extant, ſunt—Paraphraſis et Tabulæ in Ariſtotelis, lib 3. de Arte dicendi,--et Ariſtotelis de Rhetor. ſeu Arte dicendi, lib. 3. Græco-Latini, Londini, edit. 1619,—et Galeni quædam Græco Latin. Græca recenſuit, Latina de novo fecit A. D. 1640.

‡ *Theodorus Mayerne*, eques, *Albonæ*, in *Helvetiâ* dominus et urbis tranſmarinæ civis, in *Anglia* artem ſuam exercebat, in *Helvetia* vero ſenex diem ſupremum obiit. Chemicis remediis multum uſus eſt, quorum aliqua adhuc in uſu ſunt.—Tractatus plures conſcripſit, ab amicis poſt mortem editos,—tractatum ſuum de Arthritide cum conſultationibus medicinalibus edidit *Bonet*, *Genevæ* 1674. —Praxeos Mayerni in morbis internis præcipue gravioribus, et chronicis ſyntagma editum fuit *Londini*, 1690. ——Et Tractatus de febribus, de morbis externis, de Arthritide, et de Lue-venerea *Londini* 1695.—Et opera omnia ſua *Londini*, 1703.

moriâ

moriâ certe quam maxime dignus eſt, ob Calomelanos inventum, remedium quo quotidie domantur morbi atrociſſimi.

Poſt eos de quibus retuli, majore ſtudio literarum diſciplina quotidie agitari cœpit, multique doctrinâ claruere viri, hujus Collegii Socii; inter quos illuſtriſſimus *Harveius*, primus ex omnibus memoriâ dignus, terris, veluti ſtella perlucida cælis, elucebat.

Hic *Folkſtoniæ* in *Canutii* provinciâ natus, (1 April, A. D. 1578,) & *Caii Collegii* alumnus, veterum ſapientium more, relictâ patriâ terras alio ſole calentes, ad doctrinam atque ſcientiam diſcendam, adiit.

Poſt quinquennium, *Patavii* primo, & dein domum reverſus *Cantabrigiæ* doctoratus gradu ornatus eſt.——In Sociorum Collegii Medicorum, (A. D. 1607) numerum admiſſus, anno ſequenti medicus ad Noſocomium Regium *Sancti Bartholomei* electus fuit; & Septem poſt annos, (A. D. 1615) a Collegio munus illi datum eſt, ut anatomiam et chirurgiam, ex inſtituto nobilis *Lumleii*, et celeberrimi *Caldwalli*, exponeret; et in hâc ipſâ lectione, inventum ſuum de Circulatione Sanguinis, multi laboris ac ſtudii fructum, Sociis primo aperuit; atque hanc ſuam ſententiam ratiociniis experimentiſque adeo certis ſtabilivit, ut nemo de eâ dubitare diutius

 poterit;

poterit; tuncque (A. D. 1628) hoc ſuum inventum toto orbi terrarum promulgavit, quod erroris nebulas diſſipavit, fundamenta medicinæ rationalis jacuit; et ſibi ipſi exegit monumentum ære perrennius *.

Explicato et ſtabilito ſanguinis circuito, diligentiſſimus naturæ inveſtigator, otii impatiens, diu in eo fuerat, ut quæreret, a quibus initiis unumquodque animalium genus orietur, et tandem (A. D. 1651) rogante celeberrimo *Entio*, Exercitationes de generatione animalium typis mandari paſſus eſt.

Obſervationes item plurimas, tam anatomiam quam medicinæ praxin ſpectantes, conſcripſerat *Harveius*, Regis *Caroli* Primi Archiater, quas milites parlementarii, belli civilis furore agitati †, expilatâ domo ſuâ, flammis conflagraverunt. Damnum nunquam reparabile, nec ſatis a poſteris deflendum.

* *Riolanus*, *Primroſius*, *Pariſianus*, aliique, libros contra *Harveii* inventum de Circulatione Sanguinis ſcripſerunt; et *Georgius Entius*, Eques, cum *Harveio* amicitiâ conjunctus, et tunc temporis Collegii Medicorum Præſes defenſionem *Harveii* ſuſcepit, et *Apologiam pro Circulatione Sanguinis* ſcripſit.

† *Harveius* Medicus fuit extraordinarius Regis *Jacobi*, et dein Medicus *Caroli* Primi, cui acceptiſſimus erat, et eum in itineribus ſuis comitatus eſt.

Harveius

Harveius majorum recordationis hujus annuæ, atque convivii conditor, ſcriptis mori neſciis famam ac celebritatem Collegii noſtri apud gentes exteras auxit, et rem noſtram auctoritate ſuſtinuit, ac munificentiâ ornavit, et adauxit *; noſque non ſolum famæ atque gloriæ, ſed et fortunarum ſuarum participes eſſe voluit.

Dierum, famæ, atque honoris ſatur ad octogeſimum ætatis annum, morbis ac ſenectute fractus, vitam placide cum morte commutavit, (die 3tio Junii, A. D. 1657).

Harveius mirâ animi facultate ſui ſenſus exponendi pollebat; integer fuit vitæ, ſceleriſque purus, ingenio acuto, animo liberali; illique contigit, comperiri invidiam ante ſupremum finem domari poſſe; et plorare non fuit illi, ſuis non reſpondere favorem, ſperatum meritis; ſocii enim ſui doctique fere omnes, juſti in uno, *illi* præſenti maturos largiebantur honores †; nilque oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Laudibus

* Secunda die Februarii, A. D. 1653. Cœnaculum in Collegii horto extructum, et Bibliothecam optimis libris inſtructam, Sociis convocatis, convivioque ſplendido exceptis, Societati Medicorum *Londinenſium* tabulis conſignatis tranſcripſit *Harveius*.

† Die 22dâ Decembris, A. D. 1652, placuit Sociis Collegii ut *Harveio* in ædibus collegii ſtatua poneretur, atque quæ ſequuntur, ſubſcriberentur.

GULIELMO

Laudibus quoque quam maxime dignus *Baldwinus Hameus*, et a Sociis hujus Collegii in omne ævum reminiſcendus; ille enim non ſolum haſce ædes, ſub haſtâ poſitas Collegio redimit, ſed etiam magnam pecuniæ vim et ipſe erogavit, et ab aliis corrogavit ad illas reſtituendas, cum incendio iſto nefando, quod omnia tam ſacra tam profana, (A. D.

GULIELMO HARVEIO,
VIRO MONUMENTIS SUIS IMMORTALI,
HOC INSUPER COLLEGIUM MEDICORUM
LONDINENSE POSUIT:
QUI ENIM SANGUINI MOTUM,
UT ET
ANIMALIBUS ORTUM DEDIT, MERUIT
ESSE STATOR PERPETUUS.

Secundo anno poſt, licet abſens, Præſes Medicorum Collegii fuit electus; quod munus tamen detractavit, dicens majoris momenti eſſe, quam ut ſibi, annis et adverſâ valetudine fracto, committeretur.

A. D. 1766, *Gulielmi Harveii* opera omnia quæ extant, elegantiſſime excuſa in 4to, una cum vitâ ejus, a Collegio Medicorum *Londinenſi* edita fuere. Opera in hoc volumine contenta ſunt;

Exercitatio de Motu Cordis et Sanguinis *primo Francofurti, A. D.* 1628 *edita.*

Exercitationes duæ Anatomicæ de Circulatione Sanguinis, ad *Joannem Riolanum* filium *primo Roterdamii, A. D.* 1649 *editæ.*

Exercitationes de Generatione Animalium, *primo Londini* 1651 *editæ.*

Exercitationes additæ,

Anatomia Thomæ Parri,

Gulielmi Harveii Epiſtolæ,

Diploma Patavinum Harveio conceſſum.

1666,) longe lateque vaſtabat, in cineres redactæ fuerunt; tandemque ſupremâ ſuâ tabellâ, prædia duo reipublicæ noſtræ donavit *.

Nec ſilentio prætermittendus eſt nobiliſſimus *Durnorviæ Marchio*, qui nomen ſuum Collegii libris inſcribendo, honorem atque dignitatem arti noſtræ addidit; quique Bibliothecam Collegii libris quam munifice ditavit.

Circa hæc tempora plurimi hujus Collegii Socii, medici præſtantiſſimi, *Harvei* exemplum in Anatomiâ ac Medicinâ excolendâ ſecuti, famam atque exiſtimationem Collegii, ſcriptis ſuis, per totum orbem terrarum diffuderunt.

* *B. Hamæus*, filius medici *Londinenſis* ejuſdem nominis, qui Leidæ Doctoratus gradu ornatus in candidatorum Collegii numerum A. D. 1630, admiſſus eſt; vir fuit eruditus, ac animo liberali; et poſt incendium *Londini* urbis dum adhuc viveret: 'In Collegii comitiis 'majoribus, omnibus Collegis bonum factum viſum eſt, 'ut in gratitudinis teſtimonium tabula marmorea in 'honorem doctoris *Hamei*, (utpote inſignis benefacto-'ris) in Bibliothecâ Harveianâ extruatur.'

Nec hac occaſione ſequior ſexus iners eſſe voluit; honoratiſſimæ enim fœminæ, Regiâ etiam ſtirpe illuſtres, *Arabella Steuart*, et *Maria* comitiſſa *Salopienſis* ſocia beneficentiâ, ad levandos ſumptus in ædibus noſtris emendis factos, pecuniam largâ manu donaverunt. *Mead. Orat. Harveian. p.* 15.

Chriſtophorus

Chriſtophorus Bennet, Hiſtoriam Morborum Tabidorum elucidavit, Methodumque Medendi per ſuffitus, fonticulos, venæſectionem, et opiata, docuit*.

Gualterus Charleton Oeconomiam Animalem explicavit, deque fluxu menſtruo, et de variis morbis, diſſeruit †.

J. Whiſtler, Collegii Præſes, Rachitidem deſcripſit ‡.

* *C. Bennet*, edidit Theatrum tabidorum, A. D. 1654, Londini.

† *G. Charleton* tractatus plurimos conſcripſit:——Spiritus Gorgonicus vi ſaxiparâ motus, ſive de cauſis, ſignis, et ſanatione Lithiaſeos prodiit, Leidæ 1650:——Oeconomia animalium, Londini, A. D. 1658:——Exercitationes Pathologicæ, in quibus morborum pene omnium natura et cauſae ex novis anatomicorum inventis inquiruntur, A. D. 1661:——Inſtitutiones antomico-phyſicæ, A. D. 1665.—Diſſertationes duæ, 1mâ Anatome Cerebri pueri de cælo tacti; 2dâ De proprietatibus cerebri humani, A. D. 1665:——Onomaſticum Zoicum, A. D. 1668,——De Scorbuto, liber ſingularis, A. D. 1672. *Enquiries into Human Nature, in ſix Prelections-3 on Nutritions,—1 on Life,—1 on Fever,—1 on Muſcular Motion, A. D.* 1680.—*Three Lectures on the Motion of the Blood, the Structure of the Heart, and the Cauſes of the Pulſe, A. D.* 1684.--De Cauſis Catameniorum et uteri Rheumatiſmo, A. D. 1685.—Edidit quoque libellum de Motu Muſculari, et Exercitatiouem de Lymphæ-ductibus.

‡ Dr. *Whiſtler* edidit Tractatum de Paedoſplanchnoſteocace, ſive de Rachitide, A. D. 1645.

Franſciſcus

Franſciſcus Gliſſon, anatomicus ſummus, et per plures annos Collegii Præſes, ſtructuram atque uſum Hepatis, ventriculi et inteſtinorum optime elucidavit; primuſque irritabilem fibrarum naturam, a ſenſu diverſam, notavit; deque Rachitide, ſeu morbo puerili optime, ſcripſit *.

Thomas Wharton, anatomicus expertiſſimus, glandulas totius corporis deſcripſit, et ſtructuram atque uſum earum mirâ ſagacitate aperuit, ductumque ſalivalem in os patentem primus detexit †.

Thomas Willis, accuratiſſime ſtructuram Cerebri retexuit;—nervorum origines, et curſus per omnes corporis partes, depinxit;——nec alius ante illum de Motu Muſculari; de Morbis Cerebri, et Nervorum; de Febribus; de Scorbuto; de Vitiis Cutis; deque morbis aliis quamplurimis melius diſſeruit ‡.

Gliſſon,

* *F. Gliſſon* Anatomicus peritiſſimus edidit, — Anitomen Hepatis A. D. 1654.——Tractatum de Rachitide, A. D. 1659, adſcitis in operis hujus ſocietatem, *Georgio Bate*, et *Ahaſuero Regemortero*, M. D. et pariter Collegii Medicorum Sociis:—et librum de Ventriculo et Inteſtinis, A. D. 1676:—ſcripſit etiam librum de Vitæ Naturâ.

† *T. Wharton*, Adenographiam ſuam ſive Gladularum totius corporis deſcriptionem edidit, Londini, A. D. 1656; ad finem hujus libri, diſſerit de Glandulis Adventitiis, et de Glandulis Morboſis.

‡ Tractatus quos edidit *Willis*, ſunt,—Diatribæ duæ medico philoſophicæ, quarum prior agit de fermentatione;

altera

Gliſſon, * ſuggeſſerat vaſa lymphatica, (nupere a Bartholino detecta) humores abſorbere; *Willis* † vero originem eorum e cavitatibus, & uſum ad humores exinde abſorbendos primus deſcripſit; licet enim permodeſte veniam poſtulat, ut de illorum uſu conjectari liceat, attamen evidenter apparet, eum vaſa hæc per totum corpus humanum pro abſorbentibus, originem e cavitatibus ducentibus, habuiſſe; ita enim illa in Cerebro, in Pulmone, in Abdomine, et in Telâ Celluloſâ, deſcripſit et depinxit ‡.

altera de febribus; cui acceſſit Diſſertatio de Urinis Londini, A. D. 1662. —— Cerebri Anatome, et Nervorum deſcriptio et uſus, Londini A. D. 1664.——Pathalogiæ Cerebri, et nervoſi generis ſpecimen, in quo agitur de morbis convulſivis, et de Scorbuto Oxonii, A. D. 1667.——Affectionum quæ dicuntur Hyſtericæ et Hypochondriacæ Pathologia Spaſmodica vindicata; cui acceſſerunt Exercitationes duæ, de Sanguinis Accenſione, et de Motu Muſculari, Londini A. D. 1670.—De Animâ Brutorum, quæ hominis vitalis ac ſenſativa eſt, exercitationes duæ; quarum prior Phyſiologica eſt; altera Pathologica morbos, qui ipſum cerebrum et nervoſum genus afficiunt, explicans; Londini 1672.—Pharmaceutice Rationalis, ſive diatriba de medicamentorum operationibus in humano corpore, in quâ de multis humani corporis morbis agitur; pars prima edita fuit, A. D. 1673; pars ſecunda, A. D. 1674, poſt mortem auctoris.

* Vide *F. Gliſſon*, de Ventriculo et Inteſtinis, cap. 11m.

† Vide *Willis*, Anatome Cerebri, cap. xi.—Pharm: Rational. part. 2. cap. iii. ſect. 2.—et ibidem, cap. v.—et ibidem, cap. i.

‡ Vide loca operum *Williſii*, citata in notis ad pag. xix. Prælectionum Medicarum.

Gualterus

Gualterus Needham, in variis animalibus uterum, fœtuſque incrementa obſervavit, errores populares plurimos refutavit, et vaſa omphalo-meſenterica diſtincte deſcripſit *.

Richardus Lower, cordis fabricam et muſcularem vim clare explicuit †.

Gulielmus Croone, motus muſcularis rationem explicare nitebatur, et in hoc Collegio lectionem inſtituit, ut functiones Cerebri, nervorum, atque muſculorum obſcuriores, enuclearentur ‡.

Nathaniel

* Opera *G. Needham*, quæ exſtant ſunt.———Tractatus de formatu foetu, Londini 1666.———Annotations on a paper of Dr. *Pecquet*'s, in which he refutes the reſorption of Chyle by the veins, and his pretended diſcovery of an Anaſtomoſis between the Ductus Thoracicus, and the inferior Vena Cava. Philos. Trans. No. 85.—Experiments made with a ſtyptic for ſtopping Haemorrhages. Phil. Trans. No. 95.

† *R. Lower*, edidit Tractatum ſuum de Corde, item de Motu, Colore et Transfuſione Sanguinis, et de chyli in eum tranſitu, ut et de venaeſectione, et diſſertationem de origine Catarrhi, Londini 1669.——An Account of Transfuſion practiced on a man in London. Philos. Trans. No. 30, p. 557.——Of the manner of reſpiration, Phil. Trans. No. 29, p. 544.

‡ *G. Croone*, edidit Tractatum de Motu Muſculorum, Amſtelodami, A. D. 1667.—Scripſit etiam Obſervationes de Ovo ante *Malpighium*, quae extant in actis philoſophicis Domini *Oldenburgh*; ſic enim de illo loquitur ingenioſus *Goodall*, in epiſtolâ ſuâ dedicatoriâ. "Dr. "Croone has made moſt ingenious and excellent ob- "ſervations, de *Ovo*, long before Malpighius's book on "that ſubject was extant, which are publiſhed at large

 by

Nathaniel Hodges, vir ingenio, magis quam fortunâ memorabilis, vitam ſuam quotidie peſtis periculis, inter populum graſſantis, objicere non timuit, et ejuſdem profligandæ rationem poſteris tradidit; quam male vero tantas virtutes remunirarunt ſui, pudet dicere: Ingraveſcente enim ſenectute paupertatis oneri ſuccubuit, vir meliorem ſortem quam bene meritus. Debitum tamen merito ſuo tributum hoc perſolvere liceat, quod viventi recuſabant coævi ſui *.

Inter Medicos Practicos memoriâ dignos *Thomæ Sydenhami* laudes in hac concione memorare convenit; quanquam ad ſummum hujus Collegii ordinem viam non affectavit. —Vir fuit de noſtrâ arte optime meritus; dignuſque, ſi quis alius, qui Magnæ Britanniæ Hippocrates appelletur; omni hypotheſi alienus naturam ducem fideliter ſecutus eſt; morbos mirâ ſedulitate obſervavit, et eorum hiſtorias ſumma fide et judicio enaravit; ſæculoque præterito primus fuit, qui damnato regimine calido in morbis acutis, methodo

"by Mr. *Oldenburgh*, in his Philoſophical Tranſacti-"ons" (*of the Royal Society*).

* *N. Hodges*, Λοιμολογια, ſive peſtis nuperæ apud populum *Londinenſem* graſſantis narratio hiſtorica prodiit, *Londini* 1672.——Anglice cum notis edidit *Joannes Quincy*, et addidit *An Eſſay on the cauſes of peſtilential diſeaſes, and how they turn contagious.*——Et vindiciæ ejus medicinæ, et Medicorum publici juris fecit. *Londini*, A. D. 1665.

medendi,

medendi antiphlogiſticâ uſus eſt; et febres in univerſum per acida et refrigerantia expugnare docuit.——Poſt veteres primus fuit qui medicos a vanis theoriis et ab inutilibus vocum explicationibus, et ad rem ipſam et ad morborum obſervationem, reduxit *.

Laudibus igitur ſummis quam maxime dignus *Sydenhamus*, qui pro ſalute publicâ prejudiciis temporum ſeſe ſolus oppoſuit; viamque rectam, ſalutem civibus promittentem monſtravit.

Hujus amicus *Gualterus Harris* hâc die inſalutatus præteriri non debet, vir enim optimus fuit, et de humano genere bene meritus;

* *T. Sydenhami* Tractatus varii ſunt.——Methodus Curandi Febres propriis obſervationibus ſuperſtructa, A. D. 1666, *Londini*. — Obſervationes Medicæ circa morborum acutorum hiſtoriam et curationem, A. D. 1677. In hoc tractatu deſcripſit epidemias varias, *viz.* Febres, Peſtem, Variolas, Dyſenteriam, Coma, Tuſſem, Pleuritidem, Peripneumoniam, et uno verbo conſtitutiones ab anno 1661, ad 1675.—Epiſtolæ Reſponſoriæ duæ, A. D. 1680, *Londini*; 1ma de morbis epidemicis, ab Anno 1675 ad Annum 1680, agit; 2da de Luis Venereæ hiſtoria et curatione,—Diſſertatio epiſtolaris de obſervationibus nuperis circa curationem variolarum confluentium, nec non de affectione Hyſtericâ, *Londini* 1682.—Tractatus de Podagra et Hydrope, *Londini* 1683.—Schedula monitoria de novæ febris ingreſſu, A. D. 1686.—Diſſertationes de Febre Putridâ, variolis confluentibus ſuperveniente, et de mictu ſanguineo a calculo renibus impacto, *Londini*, 1682.——Proceſſus integri in morbis fere omnibus curandis, qui editi fuere *Londini*, A. D. 1693. poſt mortem auctoris.

ritus; operaque perutilia* de morbis acutis infantum, de peſte et de morbis aliis, poſteris tradidit.

Carolus Goodall, Hiſtoriam Sociorum Collegii memoriâ maxime dignorum, ad *Sydenhami* uſque tempora conſcripſit ‡.

Et *Ricardus Morton*, cum *Sydenhamo* æquævus, multas gratias a poſteris optime meritus eſt; nobile enim illud remedium, Corticem Peravianum, medicis falſe damnatum, regnoque expulſum, nobis reſtituit, et in praxin iterum reduxit.—Corticem in febribus tum intermittentibus, quam in aliis, liberâ manu adhibuit.---Febres et morbos

* *Gualterus Harris*, medicinam in exercitu Regis *Gulielmi* Tertii, ut Archiater ad Familiam, et dein *Londini*, fecit; ad extremam ſenectutem attigit, pluresque tractatus medicos edidit.——*A Diſcourſe on Chymical and Galenical Remedies*, *London*, 1683.——De Morbis Acutis Infantum 1689.——De peſte et inoculatione variolarum, 1721. In peſte non voluit claudi ægrotorum domos; et in principio mali ſuadit uſum Tartari Emetici vel Vitrioli albi, atque dein diaphoreticorum mitiorum, ſerpentariæ nempe Virginianæ, florum chamameli, vini, aceti; et fonticula ac ſetatia commendat.——In variolis rejecit medicamenta calida,—et in febribus laudat aquæ frigidæ uſum.——Diſſertationes Medicæ et Chirurgicæ habitæ in Theatro Collegii Regii Medicorum Londinenſium, 1725.

‡ *Carolus Goodall*, edidit librum, dictum *the Royal College of Phyſicians of London, founded and eſtabliſhed by law*, &c. *to which is added an epiſtle dedicatory, containing the Memoirs of ſome of the worthy members of the College*, London, 1684.

aiios

alios plurimos accuratiſſime deſcripſit, et multas obſervationes practicas quam utiliſſimas memoriæ tradidit; attamen fatendum eſt eum nimis in theoriis indulſiſſe, et exinde nimis calida et alexipharmaca medicamenta in morbis acutis adhibuiſſe, ægrotoſque nimis ſtragulis *velari* præcipiſſe *.

Eodem tempore doctrinâ atque ſcientiâ rerum naturalium inclaruit, *Nehemiah Grew* Socius hujus Collegii, per totam *Europam* celeberrimus.—Innatus in illo fuit cognitionis amor et ſcientiæ; duique et ſedulo in contemplandis naturæ rebus verſabatur.—Structuram Plantarum quam accuratiſſime retexuit; deque naturâ ſuccorum ac ſalium in plantis et de earum guſtu, atque colore quam optime, diſſeruit.—Fabricam inteſtinorum et glandularum in animalibus mirâ ſagacitate aperuit,—res omnes raras et admirandas in repoſitorio ſocietatis Regiæ deſcripſit;—et ex rebus creatis, et imprimis ex

* *Ricardi Morton* opera ſunt,—Phthiſiologia, ſive Tractatus de Phthiſi, in tres libros comprehenſus; totumque opus variis hiſtoriis illuſtratum, *Londini* 1689; in hoc libro agit de Phthiſi a variis cauſis orta,——Pyretologia, ſive Tractatus de Morbis acutis univerſalibus, variis hiſtoriis, illuſtrata *Londini* 1692; in hoc libro agit de febribus acutis continuis, de febribus intermittentibus, de Corticis Peruviani virtute, atque uſu.—Pyretologia, (altera) ſive Tractatus de Febribus Inflammatoriis univerſalibus variis hiſtoriis illuſtratus, *Londini* 1694; in quo differit de febribus inflammatoriis, de morbillis; de febre ſcarlitana; et de variolis.

ſtructura

ſtructurâ atque fabricâ animalium, magnum rerum creatorem exiſtere, quam pulcherrime, demonſtravit *. Ornamentum ac decus fuit, et patriæ et collegio noſtro.

Nec minori laude dignus eſt celeberrimus *Martinus Liſter* †, qui principia atque vires fontium

* *N. Grew* opera plura magni penſi apud doctos edidit,—Anatomy of Plants, *London*, 1682; containing—1ſt an idea of a philoſophical hiſtory of plants, read before the Royal Society, *January* 8, 1672. — 2dly, The anatomy of plants, *Lib.* i. begun with an account of vegetation, read 11th of *May*, 1671,—*Lib.* ii. the Anatomy of Roots, read in 1672, and 73.———*Lib.* iii. Anatomy of Trunks, read in 1673—4. *Lib.* iv. Anatomy of Leaves, Flowers, Fruits and Seeds; to which are added lectures on mixture,——on lixivial ſalts of plants,———on eſſential and marine ſalts of plants,——on the colours of plants,——on the taſte of plants,—and on the ſolution of ſalts in water.

A catalogue and deſcription of the rarities in the Royal Society and *Greſham* College, with a comparative anatomy, *London* 1681,———de Sale Cathartico amaro *Londini* 1995.—Coſmologia Sacra, *Londini* 1701.—Et in Philoſ. Tranſactions, No. 159, on the Pores of the Skin,—and in No. 199, Caſe of a diſeaſed Spleen.

* *Martinus Liſter* multa opera ingenioſa ſcripſit, quorum ſequens eſt catalogus; Hiſtoriæ Animalium tractatus tres; 1, de Araneis; 2 de Cochleis Terreſtribus et Fluviatilibus; 3, de Cochleis Marinis, quibus adjectus eſt quartus de Lapidibus, *Londini* 1678.--Exercitationes duæ, 1ma de fontibus medicatis Angliæ *Eboraci*, 1682; 2da *Londini* 1684.—Hiſtoria ſive Synopſis methodica Conchyliorum, *Lib.* i. A. D. 1685; *Lib.* ii, 1686; *Lib.* iii. 1687, Append. 1688, *Lib.* iv, 1688, Append. 1692, *Londini*, fol.—De Conchyliis Bivalvibus utriuſque aquæ exercit. anat. 3tiâ, huic accedit diſſert. medicinalis de calculo

fontium medicatarum Angliæ enucleavit; et qui ſcriptis ingenioſis de multis naturæ rebus, et

calculo humano, 1696, *Londini.* 4to, — Exercitationes medicinales ſex, 1694.—Exercit. Medic. duæ, 1697.— A journey to Paris, 1699.—Aphoriſm. Hippocratis, cum commentariolis, 1703.—Tract. de Humoribus, 1709.

In Philoſophical Tranſactions. Of Roman Urns, &c. found at *York*, No. 4.—Of Experiments in Agriculture, No. 25.—Of Spiders Threads, and of Shell Snails, No. 50.——Of the Sycamore Tree; and of the Circulation of Sap; and of Dyes and Colours, No. 70.—Of Inſects of the Kermes kind, No. 71.——Of a Muſk ſcented Inſect on Henbane; of a Viviparous Fly; a Table of Spiders, No. 72.—Obſervations on Inſects; on vegetable Excreſcences, No. 75.—Of Foſſil Shells in *England*, No. 76.—Of the Tarantula, and of a Muſk-ſcented Aunt, No. 77.—Of veins in plants, No. 79.—Of Hair Worms; and of a ſtone cut out from under the Tongue, No 83. ——Of a particular Species of Muſhroom, No. 89.— Of the Glandulæ Miliares; of the colour of the Chyle; of the uſe of the Inteſtinum Cæcum; of the Lumbrici Lati et Cucurbitini; of Lumbrici Teretes found in the Ankle, No. 95.—Of Trochitæ and Entrochi, or ſtones figured like plants;—and of a ſubterraneous fungus, No. 100.—Of ſtones found in the Bladders of Animals, No. 101.—Of Gloſſopetra in *the Iſle of Shippey*; Of the electrical power of ſtones in relation to a Vegetable Roſin; of the efflореſcence of certain Mineral Glebes; of Vitrifying Antimony with Cawk; of Muſhrooms, No. 110. — Of ſtrange Worms vomited by a child, No. 117.—Of the Aſtroites, (ſtones) No. 122.— Of a Roman Altar, No. 145.—Of the Hydrophobia, No. 147.—Of the diſtribution of the Chyle; of a Multangular Tower at *York*, No. 149.—Of the cauſe of Trade Winds; of making Sea Water freſh by means of plants, No. 156.—Of the cauſe of Thunder and Lightning; of Midland Salt Springs; of the cauſe of Earthquakes, No. 157.—Of the Arch of a Roman Bridge at St. *Eſprit*, in *France*; of a particular ſort of Maggot; of

 Bees;

et de morbis famam atque nomen Collegii noſtri longe lateque, per gentes diffudit.

Et certe hodie commemorari bene meretur ingenioſus *Samuel Collins* *, qui Anatomiam tum hominis tum animalium varii generis, ſummâ cum diligentiâ excoluit; interque auctores, qui de Zootome ſcripſerunt, princeps habetur.

Bees; of Spiders Threads; of ſeveral aged perſons in the North of *England*, No. 160.——Of Mineral Maps; of Sand, Clay, &c. No. 164.---Of the cauſe of the riſe of Quickſilver in the Barometer; of the propagation of Exotic Diſeaſes, No. 165.—Of the Nitre of *Egypt*; of Experiments on the freezing of Water, No. 167.---Of a ſtone grown to an Iron Bodkin, taken out of the Bladder, No. 168.—Of Wild Geeſe; of the Silk-tailed Bird, No. 175.—Of the Entalia, Blatta, Byzantia, *&c.* No. 197.—Of the Heart of a Snail, No. 198.—Of tranſparent Pebbles, No. 201.——Of the true way of making Steel, No. 203.—Of the Lapis Judaicus; of the Foſſil Wood at *Craven*; of the nature and differences of the Juices of Plants, No. 224.——Of the manuring of a Sandy Soil, No. 225.—Of the Anatomy of a Scallop, No. 229.—Of a Polypus in the Lungs, No. 235.—Objections to Animalcula in Semine Maſculino, No. 222, and 244.—Of the origin of White Vitriol, No. 256.—Of Roman Inſcriptions, No. 457.—Of Coal Borings, No. 450.

* A. D. 1685, *Samuel Collins* Syſtema Anatomes edidit, in quo multa ad anatomiam comparatam habet. De hoc opere dicit celebris *Albertus Haller*, ‘Magna pars operis ‘in Zootome verſatur, cujus præcipuus certe auctor eſt; ‘et avium piſciumque imprimis copioſiſſimas figuras de‘dit; ex homine icones pauciores——anatomiam prac‘ticam interponit; et phyſiologiam, anatomen et pa‘thologiam conjungit.’ Vide *Hermanii Boerhaavii, Metbod. ſtudii Medici edit ab Alberto Hallero. Tom.* i. *pag.* 532.

Illique

Illique æquævus *Edwardus Tyſon*, Medicus Scientiâ in rebus naturæ, et doctrinâ anatomicâ celebris, dignus certe eſt qui in commemorationis hodiernæ partem vocetur; moribus enim et literis hoc ſodalitium ornavit, et operibus ſuis nomen ac celebritatem ejus adauxit*.

* *Ed. Tyſon*, Tractatus varios edidit.——Phocæna, or the Anatomy of a Porpeſs, *London* 1680.—Orang Outang, or the Anatomy of a Pigmie, to which is added a Philological Eſſay concerning the Pigmies, the Cynocephali, the Satyres and Sphinges of the Antients, *London*, 1699.————In Philoſophical Tranſactions, No. 144, The Anatomy of a Rattle Snake.—146, Hiſtory of the Lumbricus Latus, or jointed worm.——No. 147, Of the Lumbricus Teres.—No. 153, Tajacu, or Anatomy of the Muſk Hog of *Mexico*.—No. 193, Lumbricus Hydropicus, or proof that Hydatides are often imperfect animals.————No. 239, Anatomy of an Opoſſum.————No. 142, Obſervations on an abceſs in the liver,——and of four Ureters in an Infant.—No. 176, The figure of a Cochineal Fly.—No. 187, Of Hydatides in the Veſica Urinaria.——No. 228, Of the Brain of an Infant which was depreſſed into the hollow of the Vertebræ of the Neck; and of a Sphacelation of the Brain, and a ſtone found in it.

The life of the Ephemeran Fly tranſlated from *Swamerdon*, *London* 1681.—The ſcent bag in Poll Cats, and in ſeveral other animals firſt diſcovered; *ſee Plot's natural Hiſtory of Oxfordſhire, p.* 305.——Obſervationes plures medicas habet, in vol. v. act. Haffnienſium, vide obſ. 26, 27, 28, 29, 30, 101, 107, 108,—and obſervations of Hair found in different parts of the body, *ſee* Dr. *Hook's Philoſophical collections*, No. 2. p. 11.

Gulielmus Muſgrave, Medicus Exoniæ celebris, optime de Arthritide ſymptomaticâ, et anomalâ ſcripſit *.

Clariſſimus *Henricus Ridley*, Anatomiam Cerebri illuſtravit, et obſervationes medico-practicas quam utiles, de plurimis morbis publici juris fecit †.

Edwardus Baynard, Obſervationes utiles de Balneo, et de Immerſione in aquam frigidam *Poſteris* tradidit ‡.

* *G. Muſgrave*, edidit Diſſertationem de Arthritide Symptomaticâ Exoniæ, 1703.—De Arthritide Anomalâ, 1707. In Philoſ. Tranſ. No. 812, A proof that the Lacteals convey other Liquors beſides Chyle.—No. 240, Of the Reſorption of Liquors in the Thorax.—No. 242, Of a Periodical Palſy.—No. 258, Of the uſe of Laringotomy.—No. 272, Of an extraordinary Periodical Hæmorrhage in the Thumb.—No. 275, Of powdered Blue entering the Lacteals.—No. 295, Of Hydatides paſſed by ſtool.—No. 306, Of a Jaundice from a Biliary Calculus in the Ductus Communis.———Diſſertatio de Arthritide regulari, opus poſthumum, nunc ſub prælo eſt.

† *H. Ridley* edidit,—Anatomy of the Brain, *London* 1695. Obſerv. Medico Practicas et Phyſiologicas, *Londini*, 1703.—Et in Phil. Tranſ. No. 287, An experiment to diſcover the true nature of the motion of the Dura Mater.

‡ *Ed. Baynard* edidit A. D. 1702, The genuine uſe of hot and cold baths, together with a hiſtory of cold bathing by Sir *John Floyer*,—and in Phil. Tranſ.—No. 215, Of a Rheumatiſm and ſuppreſſion of Urine, cured by Acids.

Celeberrimus

Celeberrimus *Radclivius*, parum licet literis inſtructus, longâ tamen experientiâ edoctus, proſpere admodum medicinam fecit; opeſque magnas, quas favore publico acquiſiverat, teſtamento ſuo ultimo medicinæ, literarum ac bonarum artium culturæ, *Oxonii* præcipue, inſervire voluit*.

Clariſſimus *Hans Sloane*, Eques Baronnetus, vir doctus, morumque urbanitate ac ſcientiâ rerum naturalium inſignis, Artem Medicam primo in Indiâ Occidentali, et dein in hâc urbe ſummâ cum laude exercuit; dumque apud Indos erat, hiſtoriam naturalem inſulæ Jamaicenſis compoſuit; in quâ multas plantas novas deſcripſit, et animalia, locos, aërem, aquas atque morbos quam accuratiſſime notavit †.

Auctâque

* *Radclivius* teſtamento ſuo ultimo Hoſpitium Sancti *Bartholomei*, annuo nummorum (600 *l.*) reditu donavit, ---*Oxonii* Collegium Univerſitatis amplificavit et ditavit; binoſque iſtius Academiæ alumnos, medicinæ ſtudioſos, annuo ſtipendio (300*l.* ſingulis,) per annos decem dotavit, et in exteras terras peregrinari juſſit---Bibliothecam inſtruxit ſplendidam; et pecuniæ vim ſufficientem ad Noſocomium, a teſtamenti curatoribus, ibidem condendum reliquit.

† *H. Sloane*, edidit--catalogum plantarum in Inſulis *Madeira*, *Barbadoes*, *St. Chriſtopher*, et *Jamaica*, A. D. 1696,——et dein, a voyage to *Madeira*, *Barbadoes*, *St. Chriſtopher* and *Jamaica*, with a particular account of this laſt iſland, vol. 1ſt, A. D. 1707; vol. 2d, A. D. 1725, fol.---De oſſibus ſubterraneis, A. D. 1727.--In Philoſ. Tranſ. No. 238. On the uſe of Ipecacoanha in the

Auctâque famâ ſuâ, tum Collegio noſtro, tum Societati Regiæ per plures annos præfuit; et munere utroque ſummâ cum dignitate functus eſt.

Speculator et venator naturæ curioſus, quæ rariſſima natura præbuit, vel ars fabricavit, ac libros quoſque optimos collegit, atque muſeum, doctorum delicias, & patriæ ornamentum inſigne fundavit; quod ad ſenectutem uſque ultimam advenis, ſuam domum frequentantibus, quam comiter et benigniter videndum præbuit.

Moriens teſtamento ſuo ultimo res omnes ſuas raras atque admirandas, Bibliothecamque conditionibus quam æquis legavit patriæ; unde natum eſt Muſeum *Britannicum*, gentis noſtræ decus atque gloria; opus egregium, ſeris nepotibus mirandum, nominique *Sloane* honorem in æternum redundandum.

Illi æquævus, vitæque integritate ſpectabilis, literis doctus, et in arte ſua peritus extitit *David Hamilton*, Medicus *Annæ* Reginæ;

the cure of Dyſentries.—No. 253, Remarks on a diſeaſe cauſed by ſwallowing of ſtones.—No. 429, An account of Symptoms ariſing from eating the Seeds of Henbane, with their cure.---No. 450, Remarks on a ſtone of the Bladder.---An account of a moſt efficacious medicine for ſoreneſs, weakneſs, and other diſtempers of the eye, *London* 1745.

Vir quam maxime benignus, pauperes ægrotos ſæpe viſitavit, et non ſolum remedia præſcripſit, ſed quidquid, arte ſuâ, die Dominicâ acquiſivit iis liberaliter largitus eſt; facinus eo magis laude dignum quod non glorioſe, ſed quam privatim actum ſit. Medicinam ditavit, Tractatu de Febre Miliari*, in quo multas obſervationes memoriâ dignas, et regulas medicinæ praxeos junioribus utiles notavit.

Eodemque tempore effulgebat alterum hujus Collegii lumen, ab Aberdoniâ ortum, *Joannes Arthburtnot*; Medicus quoque *Annæ* Reginæ celebris, ingenio acuto felix, doctrinâ atque literis inſignis, et judicio pollens. —Vitæ integritate, morum urbanitate, animi benevolentiâ ſuis fuit carus atque amatus; ac amicitiâ et conſuetudine familiari cum *Pope*, *Gay*, *Swift*, aliiſque viris in orbe literarum celeberrimis conjunctus.

Fama ſua longe lateque pervulgata Collegii noſtri nomen auxit; et ipſe æque apud exteros quam apud cives in honore atque pretio fuit.

Inter medicos pauci illi pares fuerunt; inter literatos, ingenio celebres, nulli fuit

* *D. Hamilton*, edidit librum ſuum de Febre miliari et praxeos regulis, *Londini*, A. D. 1710.

ſecundus

ſecundus; cumque familiaribus micuit inter omnes, luna velut inter ignes minores.

Medicinæ ſcientiam libris de victu ac de aëre illuſtravit*; orbemque literarum ſcriptis plurimis quam ingenioſis ornavit.

Radclivii veſtigia preſſerunt viri duo celeberrimi amicitiâ conjuncti, *Freind* et *Mead*.

Joannes Freind, Medicus erat peritus, ſenator incorruptus, literis ac ſcientiâ inſignis, et ſolennitatis *Harveianæ* inſtaurator.

Juvenis adhuc Elementa Chemiæ, (A. D. 1704) in Almâ Academiâ *Oxonienſi* ſummâ cum laude enucleavit.——Et in exercitu† et in urbe medicinam quam feliciter exercuit.—In ſenatu ſedem ſuam dignitate implevit, eloquentiâ atque moribus ornavit,——artem ſuam ſcriptis illuſtravit ‡, famâ auxit.

Anno

* *J. Arthburtnot* opera medica ſunt,---An eſſay concerning the nature of aliments, and the choice of them, according to the different conſtitutions of the human body, *London* 1731.---An eſſay concerning the effects of air on human bodies, *London*, 1733.

† A. D. 1705, Medicus ad exercitum in *Hiſpania* conſtitutus eſt, et ibi per duos annos magna cum laude hoc officio functus eſt.

‡ *J. Freind* opera ſunt.—Emmenologia, in quâ fluxus muliebris menſtrui Phænomena, Periodi, Vitia, cum medendi methodo ad rationes mechanicas exiguuntur, *Oxonii* 1703.——Prælectiones Chymicæ *Oxonii* habitæ, cum

Anno quinquageſimo ſecundo ætatis febre correptus intra breve tempus diem ſupremam obiit, (A. D. 1728;) multiſque ille bonis flebilis occidit, nullis vero flebilior, quam Collegii noſtri Sociis.

Richardus Mead, Medicus Regius, et Medicorum ſui temporis facile princeps, magna fuit vi animi, literis doctus, ingenio bono; morumque urbanitate viros fere omnes ſupereminuit. —— Naturâ benevolentiſſimus, Sociis, Amicis, atque bonis omnibus opem ſuam indigentibus, quatenus ſuppeteret facultas, auxilia portabat.

Naturæ artiſque muneribus illi felici fortuna dedit et opes, et artem fruendi:—Artium politiorum fautor, et literaturæ Præſidium ac tutamen, aditu fuit facilis, et benigniter omnes accipiebat.

cum Appendice, 1709.—Commentarii Novem de Febribus, ad Hippocratis de Morbis Popularibus librum primum et tertium accomodati, *Londini*, 1716.—De purgantibus in ſecundâ Variolarum confluentium Febre adhibendis Epiſtola, *Londini* 1719.—Oratio Anniverſaria ex *Harvei* inſtituto, A. D. 1720.—Epiſtola ſecunda ad *Richardum Mead*, de quibuſdam variolarum generibus, 1723.—The hiſtory of Phyſick from *Galen*, to the beginning of the ſixth century, Part 1ſt, 1725, Part 2d, 1726.——Opuſcula novem alia,——in Phil. Tranſ. No. 256, An account of a Hydrocephalus. —— No. 270, An account of uncommon Convulſions.

B b Hujus

Hujus domus notiſſima, rebus artis atque naturæ raris ornata, probis omnibus apertiſſima fuit, maximeque hoſpitalis.—*Meadi* vivendi rationem et dignitatem, multi veſtrum Auditores Ornatiſſimi meminiſtis; et quam literis Latinis doctus, quam in arte ſua peritus, oſtendent ſua opera poſteris ultimis †.

Vivente adhuc *Meadio* Matheſeos Scientiâ et literis humanioribus inclaruit *Jacobus Jurins* Collegii noſtri Præſes; variolarum inſitionem nuper in *Britanniâ* exercitatam (A. D. 1720,) Civibus commendavit, ac œconomiam animalem ſcriptis multis ingenioſis elucidavit *.

Thomas

† *R. Mead* Opera ſunt.——A mechanical account of Poiſons, *London*, 1702.——De Imperio Solis atque Lunæ, 1704.——A Diſcourſe on the Plague, 1720.——Oratio Anniverſaria Harveiana, cui adjecta eſt, Diſſertatio de Nummis quibuſdam a Smyrnæis in Medicorum honorem percuſſis, 1724.——De Variolis et Morbillis, 1747.——Medica Sacra, ſive de Morbis inſignioribus, qui in Bibliis memorantur Commentarius, 1749.—Monita et Præcepta Medica, 1751.——An account of Mr. *Sutton's* New Method of extracting foul Air from Ships; and a Diſcourſe on the Scurvy, 1757.—In Philoſophical Tranſactions, No. 323, An account of three Caſes of the Hydrophobia.

* *J. Jurins* Opera ſunt :—A Letter to the learned Dr. *Coteſworth*, containing a compariſon between the Mortality of the Natural Small Pox, and that given by Inoculation, 1723.——An Account of the Succeſs of Inoculating the Small Pox in *Great Britain*, 1724.——In Philoſ. Tranſ. No. 355, Of the force of the Air in Reſpiration.—No. 361, Of the ſpecific gravity of the human

Thomas Woodward doctrinâ licet et literis non admodum inſignis ſpeculator tamen et naturæ venator curioſus extitit, et utilia quædam de uſu medicamentorum purgantium, in variolis, notavit †.

Richardus Blackmore tractatus varios de Peſte, de Febre Malignâ, de Morbis Splenis et Pulmonum, deque Variolarum Inſitione, edidit *.

Alexander Stuart, Medicus ad *Carolinam* Reginam, multa ingenioſa de Motu Muſculari, de Structurâ Cordis, et de Uſu Bilis, propoſuit ‡.

Joannis

human Blood.---No. 358, An eſtimate of the force of the Heart.---No. 373, A remarkable inſtance of a ſecond infection of the Small Pox.---No. 374, A compariſon betwixt the danger of the natural and inoculated Small Pox.---No. 377, De Globulorum Diametro in Sanguine. ---No. 380. De Globulis in Sanguine, et in Vini fæcibus.

† *T. Woodward* edidit,---An Eſſay toward a Natural Hiſtory of the Earth, and terreſtrial bodies, eſpecially minerals, 1702.---State of Phyſick and of Diſeaſes, 1713. ---Some thoughts and Experiments concerning Vegetation. Phil. Tranſ. No. 253.

* *R. Blackmore* Eques ſcripſit,---A Diſcourſe on the Plague, and Malignant Fevers, 1721,---Diſcourſe on Conſumptions, and the diſtempers of the Heart and Lungs, 1724,---Diſſertation on the Dropſy, Tympany, Jaundice, the Stone, and Diabetes, 1727,---Diſſertation on the modern practice of Inoculation, 1723,--- A Treatiſe on the Spleen and Vapours, 1726.

‡ *A. Stuart* edidit.---Tractatum de ſtructurâ et Motu Muſculorum, 1738.---In Philoſ. Tranſ. No. 414, An

account

Joannis Barker, Medicus ad Exercitum, et vir eruditus, probare aggreſſus eſt, Medicinam firmis legibus niti; modumque quo acuti morbi ſanabantur eundem eſſe, apud *Hippocratem*, *Galenum*, *Sydenhamum*, atque *Boerhavium**.

Franciſcus Cliſton ingenioſe diſſeruit de Statu Medicinæ apud Antiquos et recentiores, et libros plurimos *Hippocratis* de Linguâ Græcâ in Anglicanam tradidit, notiſque ornavit ‡.

account of a wound in the Gall-Bladder, and of the uſe of the Bile.---No. 424, Experiments to prove the exiſtence of a fluid in the Nerves, together with inferences from theſe experiments.---No. 427, An Explanation of an Eſſay on the uſe of the Bile.---No. 442, An Obſervation of a white liquor like milk, that appeared inſtead of ſerum, ſeparated from the blood after it had ſtood for ſome time.---No. 460, On the Structure of the Heart.

* *J. Barker* edidit,---An Eſſay on the agreement betwixt ancient and modern Phyſicians, 1748.

‡ *T. Cliſton* edidit,---Plain and ſure way of practiſing Phyſick, A. D. 1731.---The ſtate of Phyſick, ancient and modern, briefly conſidered, with a plan for the improvement of it, 1732.---Anglice reddidit librum *Hippocratis* de locis in Homine, 1734; et librum de Aëre, Aquis atque Locis, et de Morbis Epidemicis et de Prognoſticis in morbis acutis, et notis ornavit; 1734.

Garth §,

Garth §,—*Hoadley* *,—*Aikenſide* †,—Muſis arriſerunt.

Hales,—*Crow*,—*Pellet*,—*Monro*,—*Hulſe*,—*Shaw* ‡,—*Peters* ‖,—*Batt*,—*Munkley* *,—

§ *Garth* edidit,—Poema ingenioſum, The Diſpenſatory dictum.

* *Benjamin Hoadley* ſcripſit,—A Treatiſe on the Organs of Reſpiration, *London*, 1740.—Oratio Harveiana, 1742.——Comediam, dictam, The Suſpicious Huſband.

† *Mark Aikinſide* edidit,—Diſſert. Med. Inaug. de Ortu et incremento fœtus humani, *Leidæ*, 1744.——Obſervations on Cancers, in Medical Tranſactions, vol. 1.---Commentarium de Dyſenteriâ, 1764: et Poemata plura ingenioſa.

‡ *Petrus Shaw* multa et ingenioſa opera, ab aliis ſcripta et nonnulla proprio marte elaborata edidit,—A new Practice of Phyſick, in two vols, *London*, 1726; quem librum ipſe poſtea juvinile opus dixit—A new method of Chemiſtry, 1727.---Three Eſſays in Artificial Philoſophy, or Univerſal Chemiſtry, 1731.--Chemical Lectures publickly read in *London* and *Scarborough*, 1734.---An enquiry into the nature and virtues of *Scarborough Spaw* water, 1734.---The Works of the Honourable *Robert Boyle* abridged, 2 vol. 4to, 1725.---Opera *Baconi* in compendium contracta, 3 vol. 4to, 1738.---An Engliſh tranſlation of *Boerhave*'s Chemiſtry, 1741.---Ditto of *Boerhave*'s Aphoriſms.---An Engliſh tranſlation of *Hoffman* on mineral waters, 1742, *etc.*

‖ *Carolus Peters*, Medicus ad Noſocomium *Sancti Georgii*, edidit---The caſe of a perſon bit by a mad dog, who had the ſymptoms of the Hydrophobia, ſucceſsfully treated, in Philoſophical Tranſactions, No. 495.

* *Nicolas Munkley* edidit,---The hiſtory and cure of a dangerous affection of the Oeſophagus; and a caſe of a Hydrophobia, in Medical Tranſactions; publiſhed by the College of Phyſicians in *London*. See vol. 1ſt and 2d.

Hadley,

Hadley,—*Woolaſton*†,—*Blanchard*,—*Grieve**; aliique probi viri de nobis optime meriti, haſce ædes doctrinâ atque moribus ornarunt, tanto vero illas compleverunt agmine, ut vox et dies deficeret, ſi in omnium retro jam eamus memoriam; et ſi laus unicuique debita foret dicenda.

Talibus Viris, talibus Majoribus, Auditores Digniſſimi, ſurrexit res noſtra, ac indies crevit, donec ad ſummum famæ, et celebritatis per totum orbem terrarum pervenerit; Nobileſque Primarii Duces de *Richmond*, et de *Montague*, ſe ſatis ad gloriam vixiſſe non exiſtimarunt, niſi Collegii hujus celeberrimi Socii nomen ſuis titulis insererent, et in Societatem noſtram cooptati eſſent.

Pergite, igitur, Socii Ornatiſſimi, ad majorum exemplum, de toto humano genere bene mereri; pergite Reipublicæ benefacere, et ſaluti civium proſpere invigilare; et memineritis ſemper quod fama atque exiſtimatio veſtra, apud Cives, facile iis artibus retineatur, quibus in initio parta eſt; ac ubi pro labore

† *Charltonus Woolaſton* edidit Hiſtoriam Diſſectionis Cadaveris Dyſenterici. Vide libellum *G. Baker*, de Catarrho, et de Dyſenteria Londinenſi, anno 1762.

* *Jacobus Grieve* edidit---An Engliſh tranſlation of *A Corn.* Celſus of Medicine; notiſque illuſtravit, *London*, 1756.

deſidia,

deſidia, pro doctrinâ et ſcientiâ ignorantia atque ſuperbia invadunt, fortuna ſimul cum moribus immutetur; ac fama ſemper ad optimum quemque, a minus bono transferatur. Veſtrum igitur ſit ſtudium, Socii Dilectiſſimi, benevolentiâ, morum urbanitate, literis bonis, atque ſcientiâ, famam et exiſtimationem Sodalitii hujus celeberrimi conſervare, et dignitatem Collegii poſteris intemeratam tradere.

F I N I S.